

3  
1019. Philos.

43.

*De*  
**PHILOSOPHIA  
SECTORIA ET ELECTIVA**  
DISSERTATIO ACADEMICA

*Quam*  
Assistente Divini Numinis gratiâ,

*Præside*  
**M. JOH. CHRISTOPHORO STURMIO,**  
Mathem. & Physices P. P.

*Ad d. Jun1, Anno M DC LXXIX.*

*Eruditorum publico & placido examini  
submitteret,*

*Pro viribus ad objecta responsurus,*

**JOH. CHRISTOPHORUS SAUTER,**  
Norimbergensis.

*ALDTORFFI,*

Literis HENRICI MEYERI, Univers. Typographi,

1679



DE

PHILOSOPHIA SECTARIA  
ET  
ELECTIVA.

## CAPUT PRIMUM.

*Quid utrumq; nomen præcisè sibi velit,  
præfationis loco, exponens.*

I.

Um ex Platonis apud Ammon. in Porph. definitione, Philosophia sit rerum divinarum atq; humanarum, causarumq; quibus continentur, cognitio, atq; adeo τὸ Φιλοσοφεῖν nihil aliud, quam διασχιδίως τῷ τὸν τὸν θεόν hominis mentem πεπάζειν γνῶναι τῷ τῷ αὐτοῖς αληθείας, uti loquitur de Philosophia Lib. de Mundo sub init. h. e. non tantum Dei Operumq; divinorum, substantiarum puta intellectualium pariter & corporearum, naturam proprietates & effectus rimari, horum causas ex rectæ rationis principiis estimare (id quod esset res divinas cognoscere) sed insuper etiam, in se ipsam altius descendenter ac per humani generis conditiones ac societas variantissimas evagantem curiosius, affectius & inclinationes suas aliorumq;, populorum etiam integrorum, intimius perscrutari, eorum vim ac impetum pernösse, hujus infringendi, istorumq; in ordinem redigendorum, vias ac media reperire, quid justum vel injustum, licitum aut illicitum in actionibus humanis quibuscunq;, quid utile quid perniciosum cuiq; societati vel regimini, pace belloq;, aut quoq; alio casu, loco, tempore sit, cognoscere; verbo, non superficiariam & generalem tantum actiones suas aliorumq; moderandi cupiditatesq;

A

com-

compescendi methodum , sed paratam in casus singulos & exercitio multo partam , acquirendæ terrenæ felicitatis , aut verius evitandæ quantum fieri potest , humanæ miseriae , Prudentiam ( optimam ac utilissimam humanarum rerum cognitionem ) consectari : opus sanè excellentissimum , & quo non aliud homine dignius , θεον καὶ δαιμόνιον ὄντως χρῆμα , complures omni ævo sunt aggressi Viri Celebres & ingeniösi ; non eādem viā tamen nec eodem consilio , sed diversâ , ut erant ingenio diversi , ratione .

II. Ut enim eos nunc taceam , qui , αὐτοδίδακτοι quasi & aliorum operâ non indigi , suo solius ingenio Naturæ arcana recludere omnia , veritatis absconditæ claustra perrumpere , quæ ignorant cæteri adinvenire , non tam valuerunt aut reverâ tentarunt , quâm ausi talia & valere videri arroganter voluerunt , in magno cæterorum numero paucissimos ; silentio quoque involvam istis è diametro adversos , sive veteres sive recentiores , scepticos ac dubitatores , qui vel à se vel ab aliis veri certiq; quippiam aut inventum esse unquam aut inveniri posse desperanter negarunt , aut hodienum negant ; reliquorum certè ingentem numerum ad duo saltem capita generalia revocare non incongruè licebit ; eorum puta , qui duci quâm ire malebant , & præeuntem magistrum affectu fœmineo ita sequebantur , ut omne suum studium in dogmatibus ac hypothesibus ipsi familiaribus rectè percipiendis ac interpretandis , adversus contrasentientes mordicus defendendis , horumque contrariis opinionibus acriter impugnandis ac refutandis , collocarent ; & illorum , qui ab unius ore pendere , aut in verba unius Magistri jurare nolentes , ex ore scriptisve Doctorum quorumcunque , quicquid veri boniq; , non docentis Authoritate , sed argumentorum pondere ac demonstrationum ἀνάγνη convicti , cognovissent , in horrea sua colligebant , adeoque , de suo subinde , quantum poterant addentes , oculis suis potius , quâm alienis , videre sustinebant .

III. Prius

III. Prius illud Philosophorum genus *aiglunōs* jam olim, h.e. sectariorum, & specialiores plurium unum Duceū sequentium familiæ, *aigēoīs*, *Sectæ* & *diyώγαī*, *Duitus*, *Abductiones*, *Institutiones* dicebantur; ut videre est apud *Diog. Laert.* in *Proœmio*, qui postquam duas Græcæ Philosophiaæ *aiglās*, sive primævas Philosophorum sectas constituisset, τὴν Ἰωνίην, à Thalete & Anaximandro Jonibus, καὶ τὴν Ἰταλικήν, à Pythagora, Samio quidem illo, sed in Italia maximam partem commorato, sic dictas, ac deinceps varios Philosophorum *Dogmaticorum* & *Ephēticorum*, *Physicorum*, *Ethicorum*, *Dialecticorum*, à loco nativitatis aut Scholæ, ab aliorum scommatibus aut aliis accidentibus, à Magistris & Ducibus &c. variè denominatorum, ordines enumerâsset; in uno Ethicorum genere *aigēoīs* dñna recenset, cùm *Themistius* (ut habet Hornius in *Histor. Philos. Lib. III. cap. X.*) sectarum fere trecentarum examen ad memoriam usque suam extitisse testetur, quas inter tam caput extollebant *Epicuræa*, *Stoica*, *Academica* & *Aristotelica*, Epicuro scil. Zenone, Platone, & Aristotele choragis. Quænam autem nominatim ex *Jonica*, *Italica*, & (quam *Vossius* his jungit, tanquam antiquissimarum tertiam, *Hornius* autem sub *Jonica* comprehendit) *Eleatica*, à Xenophane Colophonio constituta, à Zenone Eleate verò nomen naëta, tanquam è fœcundis matribus prognatae porro sint Sectæ filiæ; quo pacto una Peripatetica Philosophia progressu temporis in *Græcam*, *Arabicam* & *Scholasticam*, & hæc ultima porrò in diversissimas *Albertistarum*, *Thomistarum*, *Scotistarum*, *Occamistarum*, *Nominalium*, *Realium* &c. scholas, pro sui quamq; Magistri Authoritate & opinionibus acerrimè pugnantes, divisasit; ac similia multa, prolixè docent laudatissimi modo Duumviri *Gerardus Job. Vossius de Philosophorum Sectis & Georgius Hornius in Hist. Philosop.* Nos, quibus non historiam scribere *Sectaria Philosophiae*, sed merita & utilitatem justâ rationis lance trutinare, hac vice constitutum est, id unum

tribus verbis attingimus, quod ignotum esse nemini potest: post *Lullistas* decimo quarto seculo *Raymundo Lullio* in Majorca altera Balearium nato auctore, & *Ramistas* patrum nostrorum ævo, *Petro Ramo* parente & majoribus *Laurentio Valla*, *Ludovico Vive*, *Rudolpho Agricola*, oriundos, hac nostra ætate novam Anti-peripateticorum Sectam *Renato Cartesio* nomen ac dogmata sua in acceptis ferentem, etiamnum per Belgium imprimis Angliam & Galliam longè latè que disseminatam esse, sub initium exortus sui Aristotelicæ Philosophiæ tantum non interitum & extrema fata minitatam.

IV. Posterioris generis Philosophi *ἐπιλεκτικοὶ* quondam, *Electores*, dicebantur, quod peculiaria Magistri unius dogma-ta non sequerentur, sed è Sectis singulis verissima optimaque feligerent; *ἐπιλεξάμενοι*, ut est apud Suidam, τὰ αἰρέσοντα εἰς ἐνάγει τὰν αἰρέσεων: quod iisdem ferè verbis testatur etiam *Diod. Laert.* sub proœmii finem, introductorem hujus novi modi Philosophandi, aut, ut ipse loquitur, novæ sectæ *Electivæ*, *Potamonem Alexandrinum* indicans, quem ante & post Augustum floruisse ex *Suida* constat. Dicebantur etiam in eadem *Præf.* teste Laërtio, *ἀναλογητικοὶ*, tanquam ii qui res ipsas & rationum pondus expenderent, & *φιλαλήθαις*, h. e. veritatis magis quam docentium amantes; ψῆφοι οἱστεως tamen, uti loquitur Laërtius, h. e. ex aestimatione sui, & propria potius de se ipsis concepta, quam cæterorum opinione, qui, quod est Sectariorum proprium, omnia alia de ipsis & sentiebant procul dubio & loquebantur: *Miscellionum* qvippe contumelioso nomine compellant eos inter cætera, quasi qui nullo judicio, vel parvo pravoq; miscerent varia placita, ut imperitus coquus jura solet; uti non absque causa existimat *Acutissimus Vossius de Philos. Sect. cap. XXI.* ipse met interim *ἐπιλεκτικοὺς* istos rectius quam *Miscelliones* (odioso præsertim isto vocis significatu) dici, cordatè judicans.

V. Quic.

V. Quicquid autem vel olim de istis Electoribus senserint Sectæ cæteræ, vel hodienum alii de iisdem judicaverint; in præsens nobis, ad eripiendam omnem cavillationis occâsiunculam, semel monuisse suffecerit: Ecclæticorum Philosophorum nomine per totam hanc tractationem non alias nos intelligere, quâm eos qui non rejiciunt promiscuè quæcunq; ab aliis sectis earumque capitibus inventa sunt aut tradita, nec unius Ducis authoritate ita commoventur, ut ejus effata & dictoria promiscuè probent & propugnant omnia; sed humani ingenii imbecillitatem agnoscentes, quæ ab uno aut paucis quibusdam hominibus omnes Naturæ & Rationis abyssos exauriri nunquam patiatur, ab aliis quoque verum ex parte pvideri posse, junctisq; viribus & communicato consilio scientias augendas & stabiliendas esse, sibi persuadent, adeoq; quæ quemcunq; Doctorum, cuicunq; etiam Sectæ alias addictum, præ cæteris in hoc aut isto genere verius, aut vero saltem similius statuisse aut circumspectius observasse aut rectius arguisse, pvident, ea feligunt & probant, rejectis aut neglectis modestè cæteris; de suo porrò, quantum vel experiundo, vel argumentando, vel hariolando possunt, subinde addunt: in his omnibus non temerè agentes quidquam, sed vocata ubique in consilium recta ratione, liberoq; ac defæcato mentis judicio, quippe quod nec amoris erga Magistros eorumq; dogmata singularia, qualia nulla habent, cœcus impetus, nec odium erga diversum sentientes, quod locum, ubi ille exulat, haut invenit, abripere aut à veri tramite divertere possit.

VI. Quamobrem hisce finibus nostris exesse jubemus non eos tantum, qui nullo, aut parvo, aut immaturo adhuc judicio, varia diversorum Autorum placita, nullibi cohærentia, aliquando adversis frontibus pugnantia (cùm verum vero indissolubili demonstrationum & principiorum vinculo connecti necessum sit) imperitè congerentes, Centones

nobis pro Systematis Philosophicis ruditer consuerent, *Miscellionum* aut *Quodlibetariorum* in honoratiore nomine suum erito notandi; sed illos quoque, qui laudabili alias proposito, variorum Philosophorum dogmata & effata notabiliora verbo tenus excerpunt, & tanquam flosculos ex amplissimis operum prolixorum campis collectos, in suum aliorumque usum, asservant, ἐπλογὰς, ut ipsi vocant, h.e. indices verius & catalogos insigniorum sententiarum quam *Philosophia Systemata* moliti, ideoq; *Elogarii rectius* quam *Electedici*, & *Collectores* justius quam *Electores* dicendi: quo laudabili nomine inter priscos scriptores cum primis eminet *Stobaeus* in *Eclogis*, cui non incongrue juxteris *Suidam*, *Plutarchum de placitis Philosophorum* aliosque.

VII. Ne autem illa inanis altercationis aut λογομαχίας occasio superesse poscit, illud insuper monendum est, quem admodum ἀριστερῶν vox, si ejus ἔτυμον & significationem propriam spectemus, *electionem* dicit, ut inter Eclecticos recensere seetas omnes jure posset, quem in vocalis argutandi ludio aliqua incesseret, et si receptus vocis usus iſthæc, ut opposita, reverā distinguat, quæ sub eadem comprehendendi commodè videri queant; Ita è contrario quoq; si *Secta*, *Sectator*, & *Sectarius* à sectando deriventur, & *Sectarius Philosophus* is dicatur universim, cuius vel placita vel consilium, vel modum Philosophandi complures alii quomodo cunq; sequuntur, Sectatores ejus adeò dicendi & sectam constituentes; hautquaquam inficiamur Eclectricorum etiam turbam posse Sectam cum Laertio, & Potamonem, si primus tamen nō novum philosophandi consilium istud arripuit, Sectarium dici. Verū si non tam ratione modi philosophandi, quem unum ferē eundemq; tenuerunt omnes, quam ratione dogmatum & placitorum cuivis peculiarium, & olim divisæ sint sectæ & hodienum dividantur; Eclectricos quos num. V. descripsimus, peculiarem sectam non constituere palpabile est: Pote stq; simile

simile prorsus de his fieri judicium ei, quod de Pyrrhoniis ap. Diog. Laërt. in Præf. latum est. Cum enim enarratis ex Hippoboto novem sectarum generibus, omissam ab eo Cynicam, Heliacam, & Dialecticam annotasset, neq; Pyrrhoniam ait à multis accenseri coeteris propter obscuritatem & incertitudinem. Ἔνοι γέ, περγίτ, καὶ τὸ μὲν αἴρεσθαι εἶναι Φασιν αὐτῷ, καὶ τὸ δέ· δοκεῖ μὲν γὰρ αἴρεσθαι εἶναι· αἴρεσθαι λέπομόν (Φασί) τῷ λογῳ ἵνα καὶ τὸ Φανιρόν αἰνολεύθσαν, ηδοκεῖσθαι αἰνολεύθεν: καθ' ὃ ἐνλόγως ἀναίρεσθαι τῷ σκεπτικῷ καλοῦμόν είναι γέ αἴρεσθαι νοοῦμόν τε σφόκλιστον δόγματον αἰνολεύθσαν ἔχεσθαι, ἐκεῖτον ἀναγνοεῖναι αἴρεσθαι· εἰ γὰρ εξ δόγματος. h.e. Aliqui secundum quid eam Sectam esse dicunt, quodammodo verò non esse. Videtur enim secta esse: Sectam autem dicimus, inquit, eam que ratione quadam juxta id quod apparet, sequitur, (Ducem aliquem ejusq; consilium aliquod) aut sequi videtur; quo sensu etiam Scepticam non incongruè Sectam diceremus. Quod si verò Sectam intelligamus appellationem in dogmatibus sequelam habentibus (in certorum dogmatum consecratione fundatam) non amplius appellabitur secta: neq; enim dogmata habet.

VIII. Clarissimus Vossius certè eo ipso Tractatu quo de Philosophorum sectis ex instituto agit, Eclecticam inter cæteras quidem connumerat, sed ex aliorum magis quam sua opinione: bis enim expressis verbis negat, eam verè sectam dici posse. Nam cum ad Cap. IX. § 1. ex Hippoboto novem ista sectarum genera, quorum paulò ante ex Laërtio quoque mentionem fecimus, & tres alias è Suida nominatim enarrasset, mox alias duas ab hoc, ait, adjungi: sed quæ vix sectæ dici possint. Earum una est Pyrrhonia (sic pergit Vossius) quans agnoscit vix sectam videri, ut que nihil statuat. Altera est ex Leukinū, quæ non addicat se ulli sectæ, sed undique excerptat, quod placet. Et XXI. Caput his exorditur verbis: Supereft Secta ex Leukinū, si nova est secta dicenda, quæ non condit nova dogmata, sed ex aliis sua excerptit.

IX. Sectariam itaq; Philosophiam hoc nostro tractatu eam appellamus, quæ dogmata sua, imò haut raro docendorum etiam ordinem, ex unius Magistri aut Doctoris vel ore vel scriptis ita hausit pleraq; omnia, ut alia verius rectiusq; dicta nusquam repertum iri videatur ipsius asseclis, tantiq; sit Ducas authoritas, ut vel cœco prorsus obsequio antiquum Pythagoricorum *άντες ἔφα*, tanquam demonstrationem palmariam, suis occinant perpetuò, imò ne latum quidem unguem à Præceptore se discessuros tantùm non jurejurando confirment, vel si (quod faciunt cordatiiores) in uno altero-ve asserto, quod aut fidei Christianæ manifestè contrariatur, aut sanæ rationi nimis evidenter repugnat, aut experimen-to palpabili confutatur, Magistrum deseruerint, cœterata-men omnia non approbent tantùm & extollant laudibus su-per alia ejusdem generis omnia, sed etiam contra diversum sentientes (sive illi similiter ex affectu nimio erga receptam apud suos doctrinam, in isthac eorumq; authorem impetuosiis invehantur, sive citra partium studium aliqua minus re-ctè tradita modestè notent) omnibus modis ita propugnent, ut satis ubiq; eluceat, eos non magis (aliquos etiam multò minus) de veritate eorum qua dicta sunt, quam de authori-tate ejus à quo dicta sunt, & de sectæ suæ gloria, esse sollicitos.

X. Et hoc nostro quidem ævo, quod præsens institutum imprimis respicit, *αἰρέσεων* sive sectarum Philosophicarum tria celebratissima per Europæum orbem diffusa innotuit: Prima est *Aristotelica* à tot retrò seculis clarissima, sed in par-tes ut supra dictum divisa, quarum altera vetustior Græco-rum Interpretum ductum in Magistri hypothesibus expo-nendis sequitur, altera è Scholasticorum Commentariis ejusdem declarare mentem allaborat; adversa fronte pu-gnantes quam frequentissimè: Secunda recentior ac pronu-per nata, *Cartesiana* est, abusu hypothesium in Theologia apud Batavos imprimis famosissima: Tertiam hac paulo ve-tustio-

tustiorem, Gassendiā à restauratore, Neo-Democriticam aut  
*Vacuistarum* sectam à reconditis Epicuri & Democriti hypo-  
thesibus, haut incommode quis dixerit; ab Epicuræa veteri  
tamen in eo discrepantem, quod impia negatæ providentiae  
divinæ, immortalitatis animarum, ac similia dogmata Epi-  
curo propria, suis ceu Christianos decet, exultate finibus  
æternum jussiferit. His quarta paulatim succedit *Neo-Platonica*,  
numero tamen asseclarum vix comparanda coeteris, & pau-  
cis quibusdam scriptis publicis (qualia sunt e. g. *Philosophia*  
*vulgaris refutata* Parisiis 1670. edita, & *Henrici Mori* traucta-  
tus de anima Roterodami 1677. excusus) sui propagatio-  
nem molita.

XL. His autem ita per Orbem literarium longè lateqve  
diffusis ac de familiæ gloria, pro dogmatum characteristi-  
corum specie & prorogatione finium, tanquam pro aris &  
focis acerrimè decertantibus, cùm nihilominus & gregatim  
alicubi, & sparsim per omnia Europæ regna & provincias,  
reperiantur Viri doctissimi magno numero, qui nulli me-  
moratarum sectarum addicti, veterum Ecclæticorum mo-  
re, quod in unaquaque libero defœcatoq; judicio depre-  
hendunt verum, omni procul partium studio colligunt, su-  
isq; inventis & cogitatibus pro sua quisque virili adaugent quo-  
tidie & exornant; hoc nobis impræsentiarum demonstrare  
propositum est: *Ecclæticum hunc Philosophandi modum non u-*  
*tiliorem tantum esse & augmento scientiarum accommodatiorem*  
*istò altero sedis familiaris, sed & Veris cordatis & nunc & olim*  
*quamplurimis, ipsis adeò Sectarum Antesignanis probatum,*  
*homine Philosopho dignum, ac rationi consenta-*  
*neum magis esse.*



ꝝ:( 10. ):

CAP. II.

De

*Philosophia Electiva necessitate, utilitate  
& præstantia.*

I.

**I**Stam verò metam ut attingere nobis feliciter liceat, atten-dendum primò est ac volvendum animo curiosius, quām multa sint & quām varia infinites ea, quorum cognitionem & effectionem absoluta suis numeris Philosophia comple-cteretur; quandoquidem, qui ad pauca saltē ista, quæ summatim & perfunctoriè cap. I. num. I. diximus, animum adverterit, nullum se rerum sciendarum ac faciendarum numerum posse statuere promptissimè conjicit. Quod si jam paulò specialius unius Philosophiae naturalis amplitudinem emetiri mente quis occēperit, ac stellarum innumerabilem multitudinem, fixarum nova subinde telescopiorum ope detecta agmina, variam in singulis ferè lucem, diversos colores, aliam aliamque scintillationem, plurium alternas apparitiones ac extictiones, incrementa & decrementa; Si Planetarum antiquorum ac novorum, & si quos porrò fortè detexerit sera posteritas, luminis in plerisque mutua-titii phases & crescentis decrescentisq; varietates, si obscu-rationum & eclipsium differentias ac admiranda phæno-mena, si motus diversissimos, communem omnibus, pro-prium cuivis, nunc directum nunc retrogradum, nunc nul-lum, in longitudinem, in latitudinem, in altitudinem, sine lege quasi & regula, variantes, & ad certas tamen leges re-vocandos, horumque omnium causas rationes ac modos; si luminis ipsius naturam, si solis istoriam virtutem, exortas in ejus facie frequenter & subitò rursum evanidas maculas, erumpentes hinc inde faculas, si maculosos Lunæ aliorumq; Planetarum vultūs, si Cometarum & novarum stellarum por-

portenta, loco, tempore, motu, formâ, duratione diversissima, & in his singulis ac multo pluribus totidem ferè apparteniarum circumstantias &c. connumerare: Me Christe! quantâ sciendarum rerum copiâ obructur ejus animus, & quanta necessitas imponetur ipsi fatehdi, uti Mundi molem ac magnitudinem capere humana mens non potest, ita rerum contemplandarum in Mundo incomprehensibili multitudinem esse incomprehensibilem.

II. Age verò in terram hanc descendamus, vastissimæ molis istius centrum ac universi medium punctulum, non equidem hoc loco cum Sapientissimo Seneca eminus risuri ejus divisiones in imperia regna & provincias, sed admiraturi potius minus rerum ineffabilem multitudinem, quam hujus puncti anatome nobis detegit, & cuius singulæ quasi atomi novum nobis mundum contemplandum objiciunt. Ut enim jam non dicam de globi terraquei totius dimetienda magnitudine, de situ ejus intra aëris ætherisq; fluidissimam tenuissimamque substantiam nullis licet columnis suffulti, nullo ligamine & vinculo sustentati, de situs hujus immutabilitate, quam binorum terrestrium ad cœlestes polos invariata conversio, & (ut clarius loquar) invariata cœlestis poli ubique locorum elevatio, testantur &c. quorum genuinas & indubias causas eruere non unius seculi est, nedum unius alteriusve hominis: in admirationem profectò rapere attendentem potest cuiusque lapilli aut guttulae à toto suo revulsorum ad idem spontaneus relapsus, quem *Gravitationem* vulgo, aut *gravium descensum* appellamus, in stuporem verò etiam agere scientiarum cupidum, ejusdem descensus augescens in momenta & in singulari proportione velocitas; maximè cùm alias quasdam ejusdem Elementaris globi partes sua quasi sponte ab ipso recedere observat, quæ *Levium* nomine jam dudum insignitæ sunt, & vi-  
cissim tamen ignis, corporis omnium levissimi, vim ingentem

subter ipsum terræ gravissimum elementum depresso  
 indeqve haut raro disruptis carceribus, non per Vesuvios,  
 Aetnas, Heclastantum in Europa nostra, sed per ignivomos  
 ejusmodi crateres in Africa non paucos, in America com-  
 plures, in Asiatica India, China, Japonia, quamplurimos,  
 enixam audit vel attonitus ipse videt. In ipsis hisce sub-  
 terraneorum ignium eruptionibus &, qui comitari eas ple-  
 rumque solent, terræ tremoribus motibusq; quot & quan-  
 ta naturæ miracula stupendaque Phoenomena occurunt,  
 quæ nunc enarrare nimis longum foret? Ipsa porrò dignis es-  
 sentia, proprietates, effectus, accidentia, generatio, con-  
 servatio, interitus & extinctio, quam varia ac tantum non  
 incomprehensibilia objiciunt inquirenda Naturæ scrutato-  
 ribus? Quod si jam abscondita sub eadem terræ crusta mi-  
 neralium metallorum gemmarum, pretiosiorumq; & vili-  
 orum lapidum ac cœterorum fossilium genera omnia re-  
 censere; si, quæ supra istam inambulant aut repunt, quæque  
 in aquis natant ac per aërem vagantur, animalium historiam  
 contexere; si, quæ circa singulorum generum innumeras  
 ferè species, generationem, interitum, nutritionem, sensus,  
 motus &c. accuratiis inqvidanda, circa eorundem proprieta-  
 tum & accidentium porrò inenarrabilium absconditas et-  
 iamnum causas inquirenda, supersint, vel obiter indicare  
 vellemus; omnis ille præsenti instituto destinatarum pagel-  
 larum numerus haut quam sufficeret. In unico hominis  
 corpuseculo adeò multa detexit à paucis annis Anatomico-  
 rum Physicorumq; recentiorum industria, ut non immer-  
 to, quam anno abhinc quinto *Clarissimus Bartolinus* denuò  
 edidit, *Anatomiam quartum. Renovatam indigitaverit*, paulò  
 post iterum renovandam dubio procul, & loco non uno cor-  
 rigendam. Ecquis inde non aestimet ex facili inæstimabi-  
 lem inveniendorum subinde, ac detegendorum multitudi-  
 nem per universam istam ad quam modo digitum intendi-  
 mus

mus Geotomiam? Unica Magnetis contemplatio, quot & quanta habet, quæ miramur magis quam intelligimus, quorumq; causas investigarunt multi, invenere pauci, aut fortè nulli? ut alios effectus admirandos benè multos silentio involvam, quorum genuinam rationem in occulto etiamnum latere, de cantatissima ista, *occultarum qualitatum, Sympathias, Antipathias, Antiperistaseos*, ac similia nomina rerum interim loco, ne vacuum detur, obrudi solita, loquuntur. De Oceani mariumq; falsoidine, currentibus, vorticibus, fluxu & refluxu, de fontium fluminumq; origine, de Nilii aliorumque statis exundationibus, statisq; non una regione, heic locorum autem incertis vagisq; magis, tempestatisbus, de Ventis, fulminibus, Tonitru cœterisq; Meteoris aëreis, aqueis, igneisq; que, quam pauca sunt quæ scimus, quam incerta quæ hariolamur, quam sine numero quæ penitus cognoscet totus mundus anxiè desiderat! Baroscopiorum, Thermometrorum, Hygroskopiorum, vacuorum ab aëre artis ope corporum &c. nova nobis indies Phœnomena, novamq; confirmatarum aut mutandarum aut fingendarum de novo hypothesium, occasionem nobis objiciunt, inexhaustos ideo naturæ thesauros cum superioribus, ineffabilem rerum sciendarum & investigendarum multitudinem, testimoniorum haut minori numero ex omnibus terrarum angulis abundè confirmantia. De iis quæ ad *Politican Prudentiam, Moralem item aliasq; scientias* spectant, nullis ferè limitibus coercenda, nullo comprehensibilia numero, aliorum malum audire judicia quam in alienam messem videri nostram immisisse falcam.

III. Quemadmodum autem quæ fidem ac mores veræ fidei testes, attinent, & ad hominis alioquin æternum perituri salutem spectant, Clementissimum Numen per Viros *georpius* & infallibilitatis dono largiter instructos Prophetas, Evangelistas, & Apostolos, nobis revelavit, ut heic ubi ve-

rum omnes dixerunt scripseruntq; indubie, nullum repe-  
 riat locum ἐν λεξισ ( quid enim eligas ubi æquè bona sunt o-  
 nia ? ) Si placuisse tibi Eadem Numini benignissimo Naturæ quo-  
 que arcana cæterarumq; scientiarum abstrusiora revelare  
 selectioribus quibusdam ingeniis , porro scriptis infallibili-  
 bus , de quorum authoritate satis constaret, aliis communi-  
 canda ; facessere jure meritoq; jubemus omnem Philo-  
 sophiam Electivam , & sectaremur intrepidè , quæ in istis li-  
 bris præscripta nobis essent de rerum sciendarum causis &  
 rationibus omnia . Nunc autem , quando talis revelatio fa-  
 eta nunquam , sed ratio data cœlitus hominibus , & implan-  
 tatum quoddam sciendi desiderium , ut opera manuum Dei  
 scrutarentur ipsis & rerum nascendarum abditas plerunque  
 causas pro virili timarentur ; quando quod ante indicavimus ,  
 tanta est utробique multitudo & difficultas , cui superandæ  
 ne secula quidem multa , nedum unius hominis ævum aut  
 ingenium , unquam suffecerit ; quando adeò quem exhauri-  
 re cognoscendorum Oceanum singuli non possumus , uni-  
 versi pitmando quasi guttatumq; lambendo tentemus neces-  
 sum est , alius hanc , alius istam scientiarum particulam , pro  
 suis quisque viribus excolendam sumentes ; quando deniq;  
 si maximè junctæ omnium selectiorum ingeniorum vires o-  
 peri immenso impares haut forent , affectum tamen & stu-  
 diorum diversitate in transversum rapi pleraq; & in veritate  
 investiganda multum impediri , notorium est : quid , amabo ,  
 isthac rerum facie , facias ? quod aliud consilium prudentius  
 arripias ? quam cum sapere solus ubiq; non magistru , quam  
 coeterorum quisque possis , aliorum quoque inventa & co-  
 gitata in medium undecunq; collata , ut admittas , non pro-  
 miscuè tamen & sine delestu , sed ita , ut quæ quemque  
 in quovis rerum genere aliis imo te ipso quoque diligentius  
 observasse , rectius judicasse , probabilius supposuisse , verius  
 ratiocinatum esse , honestius sensisse , tuâ ipsius ratione judice  
 depre-

deprehenderis , gratus exosculeris , & excolas ulterius , re-  
liqua verò suo relinquas loco & pretio , aut , si quid veræ fi-  
dei vel bonis moribus , vel publicæ tranquillitati adversari ,  
noxamve afferre ullam satis certussis , id cordatè rejicias &  
condemnes ?

IV. Itane verò manifestum est , ac ipso meridianō sole  
clarius , non aliam rectæ rationi humanaeque conditioni ac-  
commodam esse & consentaneam Philosophiam , quām isto  
quo suprà diximus sensu , Electivam ? Ac impossibile esse  
quenquam utiliter & cum scientiarum augmento philoso-  
phari , nisi Eclecticorum more philosophetur ? Neque vero  
necessaria solūm hæc est quærendæ verae sapientiæ ratio , sed  
æquisimæ etiam ac justa , nec urbanitatis & modestiæ , quæ  
Philosophum hominem apprimè decet , immemor . Cūm  
enīm nullo trahatur partium studio , & æquali affectu fera-  
tur in quosvis veri cupidos , imò cuique , qui pro virili sua in  
commune conferre admittitur , magnas se debere gratias a-  
gnoscat ; non om̄nem industriæ , ingenii , veri bonique de-  
monstrati laudem in unum totis plaustris convehit , sed su-  
am cuiq; ex merito ita tribuit , ut , sicubi etiam erratum à  
quoquam , aut acutætares non fuerit , id cordatè quidem ,  
sed modestè , moneat , non ut confundat aut propinet aliis  
ridendum inventi vel asserti authorem , aut , quam aliunde  
jam peperit sibi famam & gloriam , ei obtrectet ( novit e-  
nīa errare humanum esse , neque vituperio statim dignum ,  
qui , cūm in multis se gesserit strenuè , in uno deficiat ) sed ut  
veritati litet unicè & quod obstat scientiarum incrementis  
videt , id modestè removeat . Hinc videas hoc ævo HVGE-  
NIOS , GREGORIOS , MOROS , BOYLIOS , HOOKIOS ,  
AVZVTOS , PETHTOS , HAMELIOS , MALPIGHIOS , a-  
liosq; quāmplurimos inter se dislēntire quidem & scriptis  
concertare , sed eâ comitate , eâ modestiâ , ut dum confuta-  
re quædam alter in alterius libris audet , non tantum ea en-  
comia

comia quibus aliorum judicio isti digni visi sunt non diffimulat, sed suo quoque exornet; cordate confessus multo eos cum ingenio conscriptos esse, multaque comprehendere de cœtero subtilissima, verissima, optima: is autem cuius scripta convelluntur, in his vindicandis eadem animi moderatione usus, etiam gratias agat adversario, quod suas qualescunq; lucubrations examinare dignatus, ansam adeò sibi præbere voluerit, cogitata sua clarius & distinctius expounding &c. (vid. exempli gr. Ephem. Gallorum V. ad d. 2. Jul. 1668. & Acta Angl. ad d. 13. Jul. ejusd. anni. Henrici Mori Enchir. Metaph. p. 125. 139. 180. &c.) Quo certè pacto veritas eruitur felicissimè, quam altercando amitti, experta suo damno superior ætas quidam judicavit: ut reliquas utilitates nunc taceam, multas profectò magnasque quæ in facultates superiores, Remq; adeò publicam universam, ex moderate Philosophandi consuetudine uberrimè redundant.

V. Cùm porro ex iis, quæ sub initium hujus capititis dicta sunt, evidentissimè constet, impossibile fuisse antiquis Philosophis humanæ sapientiæ arcana per vestigare omnia, posterorumq; adeò seculorum investigationi multa fuisse relinqua, & verò, vel istis judicium defuisse aut industriam, aut hxc nobiliorum ingeniorum aut curiosarum mentium ubere proventu de stitui, nemo nisi temerarius ausit assertere; deniq; ab istis non magis quām ab his humani quidquam alienum putandum sit; æquiū profectò & consentaneum magis rationi esse nihil queat, quām sic antiqua venerari, ut nova tamen ne promiscuè respuamus, nec ita delectari novis, ut prisca sordeant omnia; sed habito prudenter utroq; delectu, quicquid veri boniq; vel olim dictum vel nuper inventum vel hoc ipso die excogitatum est, id pari affectu recipere; id quod est Eclecticorum proprium. His enim novi nihil exosum est, si verum sit, cùm sciant inexhaustos Naturæ sapientiæq; Thesauros non posse non subinde nova de promere &

re & inaudita: His antiqua non sordent, si cum veritate perennent, cùm ad invenienda nova ab inventis antiquitùs viam sibi stratam esse non ignorent: Hi verum bohumve nihil aestimant eò quod priscum sit, cùm etiam *χρήσις καὶ πενι-*  
*nata elapsis aliquot seculis inter antiqua censenda videant;* nec ideo malum aut spernendum quidquam, quia novum est, quandoquidem & antiquissima quæq; in exortu suo fuisse nova animadvertisunt. Hi gratâ mente confitentur, ex *Platone* se multa, ex *Aristotele* quamplurima, ex *Epicuro* quoque nonnulla, è cœteris superiorum temporum Philosophis non pauca didicisse, multò quoque plura docendos, si, quæ periére proculdubio, *Pythagoræ, Parmenidis, Melissi, Leucippi, Speusippi*, cœterorumq; scripta doctissima superfuissent. Quod si tamen aliqua melius edocetos fesse à modernis aut expertos rectius ipsosmet, intrepidè affirment, ideo non magis ingratorum nomen merentur, quām Aristoteles aut Cicero, cùm hic *recentissima quæq;*, inquit, *sunt correcta & emendata maximè Lib. I. Acad.* Quæst. ille verò τὰ πλεῖστα τῶν ἀγ-  
*χαιών*, ait, η̄ τὸν διῆρθρωτας τῶν νεωτέρων. II. Polit. c. XI. t. 169.

VI. Quandoquidem autem non aliunde majores animorum collisiones in Philosophantium turba exortæ unquam sunt, in receptæ quoque fidei noxam & Reipubl. perniciem haut raro redundantes, quām cùm novam prorsus Philosophiam introducere, veteremq;, quòd unis alterisq; ejus hypothēsibus ocularis experientia reclamare deprehensa esset, uno impetu exturbare quibusdam ausis, alteri huic ex opposito obniti omnibus viribus, ne istis quidem admisisis quæ sole ipso quod ajunt clariora erant, illius autem omnia, etiam manifestè convicta, mordicus tenere, tueriq; sustinerent ( id quod vel moderno exemplo suo tumultuosis ejusmodi Philosophantium factionibus etiamnūm afflcta Batavia comprobat ) ab Electivo sanè Philosophandi proposito neutrūm illorum venit metuendum. Hoc enim majorum

philosophemata non rejicit statim omnia, nec rationem methodumq; philosophandi universam mutat, si maximè subinde quæpiam aut demonstrationum *avayn*, aut experimentorum evidētia corrigere jussérit; nec immoderatè & impudenter reluctando novæ cuiq; veritati, antiquam omnem illius inventoribus reddit exosíssimam: sed admittendo quæ vera sunt, et si recentissima, id consequitur, ut excludi sua reliqua, & antiqua servari quām plurima tantò ferat moderatius novaturiens adversarius: præsertim cùm istorum quoque exclusio (nisi quid impietatis aut indecori foverint) secundūm Electivæ Philosophiæ leges, modestè fiat, & absq; stomacho. Nunquid igitur hanc solam ad evitandas animorum collisiones, publicæq; tranquillitati sartæ teatæque conservandæ, aptam natamq; esse videmus & accommodatissimam?

VII. Verbo: Cùm rectissimè Aristoteles Lib. III. Eth. Nicom. cap. II. pueris & brutis animantibus τὸ ἔκσταον quidem ἐπιφέρεις ac θυμὸν attribuat, *περαιών* autem neget, quia, (quam rationem addit *Andron. Rhodius* in Comment.) *περαιών πόνοις τοῖς κείμενοι δυναμένοις καὶ βγλένεσθαι εἰδότι πάρεστι*; non possumus non iterum iterumq; concludere: Eam solam esse philosophandi rationem præstantissimam & homine dignissimam, quæ secluso omni sive amoris sive odii affectu, neq; cupidius arripit aut tenaciū asservat omnia à Magistris oblata, nec iracundiū invehitur in aliorum istis contradicentium asserta, sed, cùmr neutros aut ignota invenisse, aut vera dixisse omnia, aut ubiq; errasse, rationi sit consentaneum, cum judicio ac deliberabunda elit quod ubiq; <sup>sup</sup> reperit optimum & verissimum.



## CAP. III.

De

*Philosophia Sectaria incommodis & illau-*  
*dabili conditione.*

I.

**S**I uspiam, hic profectò valet illud Aristotelis II. Top. c. III. *Στῶ εὐαρλίω τὸ εὐαρλίον ἀνθετεῖ*, h. e. *Oppositorum opposita sunt consequentia*: Sectariæ quippe Philosophiae primò nulla est necessitas; cùm , plurimis omni ævo rationem excolendo Naturæq; arcana scrutando probè desudantibus, nulla ratio sānâ ratione utentem cogat uni soli , spretis cœteris omnibus, asilētiri & mordicus adhærere. Sanè cùm ne in revelatis quidem necessum sit, imò ne utile quidem , unius Jesaiæ aut unius Pauli scriptis acquiescere , quamvis neutra quicquam quod verum & infallibile non sit contineant ; quæ, amabo, necessitas fuerit , aut in unius *Aristoteli* antiquissimis monumentis , aut in *Rami* cuiusdam vel *Cartissi* scriptis recentioribus, hominum non fallibilium tantum sed reipsâ non semel lapsorum , omnem veritatem Philosophicam quærendi? quid opus , aut hunc , aut illum , aut istum , in quibusdam , vel etiam in multis , feliciter & ingeniosè præeuntem , ita sequi in cœteris omnibus , ut ab eo divelli nos vel nunquam patiamur , vel ægerrimè? perinde ac si quis per omnem Italiam ab homineistarum regionum adicūm viasē; ab in eunte ætate edocto feliciter circumductus , non alio postmodum quām eodem duce , per Galliam etiam & Angliam , aut per Septentrionalia regna, quæ vel nunquam iste vidisset, vel obiter aliquando peragrâset, uti vellat.

II. Neque verò *non necessarius* tantum, sed ne utilis quidem, imò perniciösus noxiusq; Scientiarum augmentis est ille philosophandi modus, quo ducis unius authoritati fidere nimirūm , ac , si non omnia , saltem pleraque scitu digna ab eo

dudum inventa esse ac rectissimè demonstrata supponere solemus; tanquam non aliâ porrò operâ sit opus, quām ut è sparsis & prolixioribus ejus scriptis in compendia redigamus ac Studio& Juventuti propinemus omnem scientiam. Hic autem, si ullibi, locum habet illud Senecæ, quo multos, ait, *ad sapientiam perventuros, nisi crederent ad eam se dudum pervenisse*: Naturalem certè Philosophiam in Systemata pri-ūs coactam ac legibus intempestivis constrictam, quām exculta satis esset, valdè dolent hoc ævo Viri magni nominis, VERVLAMIVS ac BOYLIVS, pro sua quippe prudentia fa-cile perspicientes, multò difficilius eliminari opiniones jam sub artis leges receptas ac civitatis quodam quasi jure dona-tas, quām excludi nondum admissas, si falsæ fuerint aut manifesto exprimento aut evidentia ratione deprehensæ; id quod etiam vice non unâ magistra rerum experientia docuit. Cujus rei ut unum saltem alterumve exemplum hîc exhibe-amus, cùm TYCHO BRAHEVS sub finem superioris se-culi immenso labore, observandiq; indefesso studio, sumptu quoque maximo, deprehendisset stellas novas ac tempora-rias plerasq; in cœlo potiū supra lunam quām in aëre mo-veri, indeq; non minūs quām ex aliis observationibus circa ordinarios Planetarum motūs habitis cœlorum fluidita-tem evidenter demonstrâsse, orbibus adeò Aristotelicis solidis & concentricis prorsus destructis ac cœlo dejectis; adeò remorabatur affectus in Magistrum nimius Aristotelici-orum plerorumq; assensum, ut omnibus viribus gregatim oppugnarent eam veritatem, quam, postquam impetus ali-quantulum deferbuisset, eorum successores non potuerunt non admittere, magno interim facto ac pœnitendo dispen-dio temporis, quod ulteriori rerum naturalium inquisitioni potuisset impendi. Simile fuit recentioris inventi Harvejani fatum de Sanguinis Circulatione, quæ experimentis ocularibus & rationibus adeò evidentibus munita statim sub prin-cipium

cipium erat, quibus manifestiores non alia pro se veritas unquam habuit, & præpedita tamen per annos plusculos fuit, quò minus eos in evehenda arte Medica fructus maturè ferret, quos ferre tandem seriùs cœpit, postquam impetus ex affectu in Præceptores ac recepta jam artis fundamenta nimio contradicentium remiserat.

III. Quàm iniquæ porrò & immoderatæ in admetiendis antesignano suo asseclisq; laudibus, & econtrà in elevandis adversariorum aut diversa sentientium virtutibus, aggravandisq; & connumerandis magno studio, malitiosè affingendis, & contumeliosè deridendis, exsecrandisq; nonnunquam erroribus, absurditatibus, impietatibus &c. sectæ ferè quævis ævo quovis fuerint, omnium seculorum historiæ ipsaque Sectariorum publica monumenta satis loquuntur. Equidem uti hautquaquam invidemus Aristoteli magna quædam Virorum magnorum encomia, quæ congesta in locum unum videre licet ap. Vossium de Sectis cap. XVII. & Hornium in Hist. Philos. Lib. III. Cap. XV. neq; de nihilo prorsus existimamus ea, quæ de nimio ipsius gloria studio, quæque inde manârunt, alias suggillandi, majorum inventa & ingeniosa cogitata supprimendi aut pro suis venditandi, plerorumq; Philosophorum, ipsius etiam Præceptoris PLATONIS, sententias studiosè pervertendi, similibusq; vitiis, iidem narrant cum Viris cordatis benè multis aliis; ita profectò enormiter excesserunt hodieque excedunt, & adversæ Peripato Sectæ contemnendo, mordendo ubiq; convitiis item & calumniis onerando Philosophum ejusq; asseclas, & jurata ipsi turba extollendo ejus omnia super alia omnia, ipsius effata tantum non infallibilibus sacrarum literarum testimoniis æquiparando, omnes omnium seculorum Philosophos præ ipso vilipendendo, eos autem, qui contradicere alicubi ejus dictatis ausi fuerint, diris devovendo & hostiliter persequendo. Ut enim eorum stultitiam silentio nunc prætereamus, qui

Aristotelem divis annumerarunt, & Joh. Baptista compararunt Magistrinostri Colonenses, & ii, si Diis placet, Christiani, teste Cornel. Agrippa de Vanit. Scient. cap. 54. nec abominandam popularium ipsius superstitionem attingam, quæ altaria demortuo exstruxit, festos dies ejus memoriae statuit, imaginem in templo poni jussit, & similia; ex affectu certe nimio potius, quam ex rei veritate factum omni jure existimamus, ut *Natura Miraculum* & grande prodigium salutarent Magistrum hunc sui discipuli, *Finem humani intellectus* dicerent, *nihil eum ignorare potuisse* asseverarent, omnes ante ipsum Philosophos cum hoc Sole comparatos inter minora ac nebulosa sidera numerarent. Quò pertinet etiam indefessum quorundam omnia ejus errata non tegendi tantum sed defendendi studium, de quo B. Lutherus quoque suo *ævo* conquestus est apud Sleidan. Lib. II. Comment. Aristotelem Theologis Scholasticis in summo pretio esse, & nihil ab eo dictum tam absurdè & alienum à nostra religione, quod non defendant, quod non aliqua interpretatione, quantumvis longè petita, circumvestiant, quò suis illi constet honos atq. nominis existimatio. Cui affine est quòd no mannulli, eandem secum fidem professis Christianis ac fratribus discessum à Sacra veritate exprobrare haut raro soliti, magno interim conatu & labore multo in id incubuerint, ut Aristotelem, hominem gentilem, cum Sacris literis ubique consentire, nec ulla in re ipsi, nisi apparenter, contradicere, scriptis in eum finem integris tractatis, ostenderent; aliqui etiam extraordinariè salyatum hominem tantum non persuaderent sibi, certe votis omnibus expeterent, alioquin eundem se cum Christum Deum devote adorantes, sed in uno alteroq; religionis capite aberrantes, intrepidè damnare nihil veriti.

IV. Neque verò hæc Aristotelicæ Sectæ propria, sed aliis plerisq; omnibus, priscis pariter ac recentioribus, communia virtus sunt. Quis enim, ut recenti adhuc exemplo fidem asser-

eo nostro faciamus, affectum non agnoscat discipulorum nimirum erga Magistrum Cartesium (cujus laudibus alioqui nihil derogatum volumus) dum ipsis dicitur

*Primus inaccessum qui per tot secula verum*

*Eruit è tetricis longæ caliginis umbris :*

dum Philosophum ipsum per eminentiam , uti Peripatetici suum Aristotelem , salutant : dum excellentiorem Philosophum Solem nunquam illuxisse , & , quia Superiorem non habuerit , ne quidem parem agnoscere potuisse , scribunt ; dum omnes ejus conclusiones æq; certò & infallibiliter , ac Euclidis elementa , demonstratas clamitant : dum nonnulli pro ipsissima veritate obrudunt , quæ ipse met inter hypotheses tantum , aliquando ex propria confessione fistitias , reponi voluit ; aliqui etiam receptas in Theologia formulas , magno Ecclesiae scandalo , mutare , quām duriorem aliquam Magistri locutionem deserere malunt , &c. E quibus omnibus aliud nihil consequi potest , quām , quod prohdolor ! toto die consequitristis experientia docet ; ut , dum pars altera tantundem laudis ac meritorum Sectæ Capitiq; suo detractum putat , quantum alteri cum favoris excessu tribuitur , in Zelotypiam intempestivam , obtrectationes mutuas , rixas & altercationes , convicia deniq; & calumnias desinat omnis circa veritatem è profundo eruendam disputatio ; maximo profecto scientiarum detimento , temporisq; pessimè collocati jacturā irreparabili . Et optandum quidem esset inter Philosophiæ pomœria coercitam in propria saltem viscera savire luem istam ! Verum ad altiora progressi ejusmodi , si Diis placet , Philosophi , eādem , quam didicerunt hactenus & exercuerunt probè , disputandi , hoc est altercandi ; methodo non possunt non uti in Facultatibus , quas vocamus , superioribus ; inde , prohdolor ! enascuntur nobis in media quoque Christi ecclesia , ea non refrigerentis tantum sed emortuæ prorsus Christianæ charitatis & exuta

omnis

omnis modestiæ morumq; probitatis egregia documenta ,  
quæ magno suo scandalô intuentur boni moderatiq; o-  
mnes, indignabundè, nec sine ductis ex imo suspiriis, (ut ver-  
ba Frid. Spanhemii Fil. ex ejus epistola ad amicum de Novis-  
simis circa res sacras in Belgio dissidiis pag. 195. nostra facia-  
mus) recordantes primæ illius ætatis, verè aureæ , quum  
Christianos non ex sublimiori *νόσοι*, sed ex actionibus ac  
profuso pietatis cultu æstimandos censeret Antiquitas.  
Nempe olim magis in pretio arbor vitæ, hodiè arbor scien-  
tiæ , quo solo hominem prohibuit rerum conditor : olim  
devotio , jam curiositas potior , minusq; tūm Subtilitatum plus  
Sanctitatù, Conscientia plus, Scientia minus , quorum jam in-  
versus ordo est. &c. Quibus haut incongruè junxerimus illa  
gentilis Senecæ ex Epist. 95. contentioso plurium seculorum  
Philosophandi modo accommodanda: *Antiqua Sapientia nî-  
hil aliud quām facienda & vitanda præcepit ; & tum longè me-  
liores erant Viri: postquam docti prodierunt, desunt boni.*

V. Observavit autem laudatus sæpè *Hornius Histor. Philos. Lib. IV. cap. VI.* Sectarium hoc Philosophandi genus in Romanorum Remp. unà cum Imperii mutatione irrepsisse ,  
& cùm antea Romana sapientia , quæ liberâ adhuc civitate  
florebat, fuisse quodammodo mascula, mox sub Imperato-  
ribus decreuisse illam veræ ac solidæ sapientiæ *ānubō*, ac  
senectutem imbellem, querulam, sicciam , successisse: inse-  
cutam esse servitutem ingeniorum , sectis nomina sua dan-  
tium: audita Stoicorum , Platonicorum , Epicureorum no-  
mina : insecutam esse maciem , & contentiosum disputandi  
genus , magis pro opinionibus suis quām veritate pugnans.  
Quæ quidem omnia in hæc nostra , cum primis in proxi-  
mè superiora , secula majori multò jure dicerentur ; quibus  
philosophorum non pauci muliercularum more altercari ,  
opiniones absurdas & ridiculas sibi invicem affingere , & ex  
mera confutandi adversandiq; libidine sæpe pueriliter sese  
juxta

juxta & venerandum Philosophiae nomen prostituere consuerunt. Nunquam sane sine risu & mixta cachinno indignatione lego , quæ narrat Ricciolus Almag. Novi Lib. VIII. Sect. 1. Cap. XVI. *Quidam Patavii Professor publicus Philosophie adiit Galileum , rogavitq; ut explicaret sibi quid significaretur nomine Parallaxis , sibi enim jam prædefinitum esse animo illam impugnare , quod audivisset illam adhiberi à nonnullis contra opinionem Aristotelis de Cometarum loco ; cui Galileus leniter subridens : Ergone , Domine mi , obfirmasti animum tuum , ut contra illud nomen disceperes , cujus significationem ignoras ? Simile verò hujus Professoris Patavini consilio non iustè judicaverit aliquis illud Gisberti Voëtii jurati Cartesiani nominis hostis , quo & Mersennum provocavit ad acuendum in Cartesianam Philosophiam calatum anno integro priùs quam eam vidisset , & ipse volumen integrum meditatus est , quo methodum illam philosophandi pro viribus impugnaret , in ejus libri editione unà pollicitus Mersennum in eandem insurrectum ; cui Mersennus tamen , postquam hæc inaudiisset , epistolâ ad Voëtium scriptâ ( quæ extat in principio II. Partis Epist. Cartes. ) & negavit se quicquam ausurum in Cartesii Philosophiam , sibi quippe multisq; Viris in Gallia doctissimis , quatenus è quibusdam speciminibus eis innotuisset , magna ex parte probatam , & Ipsum , expectemus igitur , monuit , donec eam ediderit , quandoquidem de re nobis intognita judicium ferre neg. possimus , neg. debeamus .-- Neg. possum , addens , intelligere qua ratione illius Philosophiam impugnes , si nondum eam videris . Hoc autem Aristotelicorum illorum muliebri affectu non minus insultus ac ridiculus erat Castellani Galli Philosophi , Aristotelicis ac imprimis Bigotio Peripatetico Celeberrimo , quicum ætate Francisci I. in Galliis florebat , infensi admodum impetus , cùm , suadentibus quibusdam Regi , ut & Bigotium audiret , postquam Castellanum frequentius admisiisset , ipse commotior in hæc verba erumperet :*

ret: *Quid hominem laudatis qui Aristotelicus est? Et ut scias,*  
*Rex, qui illi homines sint, Aristocratiam meliorem esse Monar-*  
*chiā affirmant; prout rem totam prolixius recensere Phil.*  
*Melanchtonem in Resp. ad Colonenses notat Hornius Lib.*  
*VI. Histor. Philos. cap. VIII. in fine.*

VI. Accedit autem ad Sectarum istas mutuas injurias speciatim etiam antiquitatis venerandæ contemptus ex una parte, ex alia novitatis omnis inconsideratum odium, cum oppositi immodico amore studioq; conjuncta, prout scilicet aut recens orta secta una, aut à multis retrò seculis fundata altera fuerit. *Quia in re (uti scitè p[ro]udentissimus Verulamius Lib. I. de Augment. scient.) temporis filiae male patrissant: Ut enim tempus prolem devorat, sic ha[ec] se invicem;* dum antiquitas novis inuidet augmentis, & novitas non est contenta recentia adjicere, nisi vetera prorsus eliminet & rejiciat. Testatur id satis vel moderna Philosophantium consuetudo, quorum alteri parti, quod hic aut ibi lapsos veteres experimenta manifestissima commonstrent, quicquid etiam auri prisci ex Aristotelis, Platonis, Epicuri, ceterorumq; Philosophorum antiquorum fundis eruitur, nil nisi scoriæ quisquiliæq; videntur, præ novissimis, ut ipsi quidem credunt, Cartesii sui cognitatis & inventis, quorum occasionem tamen saepe luculentissimam in illorum vetustissimis monumentis observant oculatores; alteriverò hujus aliorumq; recentiorum omnia, quæ cum veterum decretis non consentiunt, hoc uno nomine quod nova, ita exosa sunt, ut ne auditu quidem visu e digna judicent. Certè scio, scribit Franciscus Redi in observationibus de viperis, quod degregiè doctus Magister in Scriptis Peripateticorum & Vir venerandus, ut non cogeretur confiteri veras esse antea non vias stellas, & alias curiosas novitates in celo à Galilao repertas, noluerit unquam Telescopium oculo admoverē: & alius, cui dixeram, quod parvi isti busones, qui aestate, quando pluvia incipit decidere, saltant in publicis pulverulentis viis, non

non nascantur in ipso momento dum incorporatur pluvia cum  
pulvere, sed quoddam ab aliquot diebus natifuerint, & promit-  
terem, quod vellem ipsi dare exprimentum verum hujus rei, ut  
posset videre & tangere manibus omnes illos quos videret & pu-  
taret hoc ipso momento natos, gerere stomachum herbis repletum  
& intestina similiter excrementis; non tamen potius eum eò inclin-  
nare, ut concessisset aperire unum, quem elegisset, in ipsis praesen-  
tia. Enim vero utrumque istud non solum magno scientia-  
rum & Philosophiae detimento fit, quum studia potius sint  
Antiquitatis & Novitatis, quam judicia; veritas autem non  
a felicitate temporis alicujus, quae res varia est, sed a lumine  
Naturae & experientiae, quod aeternum, petenda sit, uti sa-  
pienter iterum *Verulamius* Novi Organi Lib. I. Aphor. 56.  
sed est quoque in utrorumq; temporum operosam industri-  
am & ingeniosos ausus valde iniquum & injurium. Quid  
enim? cum antiquos lapides adeo veneremur & exesa vetu-  
state monumenta tantum non adoremus; non est profecto  
cur antiquorum Philosophorum meletemata promiscue  
contemnamus, et si manca alicubi ac defectuosa: quin po-  
tius, ubi cum moderatissimo Seneca dicendum nobis est, o-  
piniones veterum parum exactas, ac circa verum adhuc er-  
ratum esse, cum eodem etiam statuamus, cum excusatio-  
ne veteres audiendos esse: Nullam rem consummatam es-  
se dum incipit. --- Nova omnia fuisse primò tentantibus;  
post eadem limitata esse; et si quid inventum est, illis nihilo-  
minus referri debere acceptum, Lib. VI. Qu. Nat. c. 5: Et  
quemadmodum Aristoteles priscis, acutissimi Cæsalpini ju-  
dicio, sic nostrates Philosophos Aristoteli gratiam omnino  
debere. Si enim (sic pergit ille in prefat. ad Quæst. Perip.)  
non fuisse Democritus, Empedocles, Anaxagoras, aliiq. multi,  
& tandem Plato; non fuisse Aristoteles: Et si non fuisse Aristoteles (ita nos porrò eodem jure concludimus,) non fuisse  
*Verulamius*, Gassendus, Cartesius, aut quisquam recentio-

rum Philosophorum alius. Interim & hoc cordatior aliquis Aristotelicus facile agnoscet, si rationi maluerit quāmaffetui auscultare: Cūm Aristotelis Philosophia eo quo cœpisset ævo nova maximam partem, respectu superiorum temporum, fuerit, nec ideo tamen rejicienda aut eliminanda; iustissimum etiam hodienum esse, si, quæ noviter inventa sunt aut tradita, odio ideo habeantur quod nova sint, & cum receptis decretis non consentiant.

VII. Ista verò Sectarum intemperantia, ubi semel iustitia malitiaque apicem attigerit, ut, quos solvere argumentorum adversorum nodos nexusque non possunt, gladio dissecare Alexandro ausu allaborent, & cūm vincere demonstrando adversam partem non valent, supremarum potestatum brachium in subsidium vocent, Virorum principum magnorumq; aliorum, qui sublimioribus arduisque magis ac Reipubl. utilissimis Consultationibus, quām speculationibus Philosophicis operam navare consueverunt, haut raro petulanter abusæ; tum verò in factiones & intestinos tumultus erumpentes, quantā clade afficiant Remp. quantum perniciem inferant Ecclesiae Christianæ, tristi hodienum exemplo suo comprobat afflictissima foris intusque Batavia; nihil horum ex illo quidem capite passura, nisi priscam antehac sectam pro conservando dominatu suo, tanquam pro aris & focis pugnantem, & novam hodiè, istam de solio suo deturbare procaciter ausam, gremio suo excepisset. Quantò melius autem ex adverso consultum sit ei regimini, ubi philosophandi modus electivus obtinet, ac dominatus ille Scholasticus omnino exulat, antecedente capite dictum est.



¶ : ( 29. ) : ¶

## CAP. IV.

De

### *Philosophia Electiva priscis modernisque culturibus.*

I.

**Q**uod si quem approbantium 'authoritas commovere magis, quam rationum pondus & argumentorum evidētia possit, ei sanè, sive priscorum exempla & suffragia exosculetur, sive recentiorum sequi consilia & statuta malit, utroq; nomine se commendabit Electiva Philosophandi ratio. Quamvis enim Introdūctorem hujus plerique laudent *Potamonem Alexandrinum*, qui Cæsaris Augusti Tiberiique temporibus floruit, quemq; postea secuti sunt, *Sotione* Senecæ Praeceptor, *Ammonius* Plutarchi Magister, aliiq; plurimi; indubium tamen est ipsa sectarum antiquissimarum Capita eandem si non professos, secutos tamen jam olim fuisse. De *Pythagora* certè prolixè ostendit Eruditissimus Vossius de Philos. Sectis cap. VI. eum Philosophiæ suæ partem unam Thracibus, aliam Ægyptiis sacerdotibus, ac nominatim Sonchidi Ægyptio Archipropheṭæ, ut eum nominat Clemens Alex. in I. Strom. partem etiam Persarum Magis & Chaldæis, nonnullam quoque Judæis, aliquam denique Græcis, imprimis Pherecydi Syrio, debere. *Democritus* in Philosophia οὐναθλοῦ habitus, ut ait Laertius, præter Ægyptios, Chaldaeos, ac Persarum Magos, etiam Indorum Gymnosophistas, amore Philosophiæ, adiit, teste Ælian. Lib. IV. var. Histor: atomos autem & inane spatiū infinitū à Leucippo accepit. Ex Platone quoque nobis allegat laudatus antè Vossius Cap. XXI. loca compluria, quæ, ne actum ageremus, huc transcribere noluimus, id consilii, quod Potamon postea apertiū est professus, apprimè suggestentia.

D 3

II. Ipsum

II. Ipsum verò Aristotelem, in cuius verba jurari solet  
( uti de ipso loquitur idem Vossius cit. l. ) Eclecticum revera  
fuisse, quis crediderit? Et est tamen illud tām certum, quām  
quod certissimum. Ut enim id nunc taceam, quōd à Laurent.  
Valla, Agrrippa, Julio Alexandrino plurimisq; aliis veter-  
ribus ac recentioribus ( quorum verba allegat Clarissimus  
Thomasius in Plagio Literario §. 364. ) sit habitus plagiarius,  
& Authoribus suis relinquam, quōd speciatim dicatur Speu-  
sippi manuscripta, tribus Atticis talentis coēmpta, postquam  
quaē inibi reperisset optima suis libris inseruisset, concre-  
māsse simul omnia ( quod equidem illaudabile genus cūlē-  
ξew<sup>ς</sup> illud nequaquam est quod hoc tractatu commenda-  
mus ) si ex propriis ejus scriptis potius quām aliorum relatu  
judicare velimus Philosophum celeberrimum, nunquid alterius quām Eclecticī verba esse possunt ea, quae leguntur sub  
ipsum initium cap. II. Lib. I. de an. ubi naturam animæ rectè  
pervestigaturum oportere ait τὸ τῶν ὁροτίχων δόξας οὐμ παρ-  
λαυθάειν, antiquorum ( Democriti puta, Pythagoræorum,  
Anaxagoræ, Thaletis, Diogenis, Heracliti, Alcmæonis, Critiæ  
&c. quas pluribus etiam postmodum enumerat & expendit)  
opiniones unā comprehendere ( NB. ὅπως τὸ μὴ εἰρημένα καλῶς,  
λάβωμεν· εἰ δὲ μῆλα καλῶς, τὸν εὐλαβεῖταί με, h. e. ut ea que  
scitè dicta sunt accipiamus: Si quid verò inscitè, id vitemus. Ad  
quem locum Jul. Pacius hoc Philosophum suo more hic facere  
, inquit, notariq; ejus modestiam jubet, cùm simpliciter su-  
, menda esse dicat, quæ alii rectè tradiderunt, de vitandis au-  
, tem non ita simpliciter, sed in unitatis numero & quidem  
, cum dubitatione, si quid minus rectè &c. loquatur. Fuisse  
autem revera istum Aristotelis morem, ex τῶν μετὰ τὰ φυσι-  
κὰ & φυσικῆς ἀναράστατος initio quoq; sole clarius apparent: ubi  
causarum principiorumque numerum determinaturus, ea,  
quæ Thales, Anaximenes, Diogenes, Hippasus Metapon-  
tinus, Heraclitus Ephesius, Empedocles, Anaxagoras Cla-  
zome-

Zomenius, Parmenides, Melissus, Leucippus, Democritus, Plato &c. de causis & principiis rerum statuerint, enarrat, eorum quædam subinde approbans, alia verò ut à veritate aliena rejiciens.

III. Quanquam autem in exponendis Veterum istorum opinionibus multa callidè subdoleq; egisse Aristotelem, ne Magistro quidem Platonis parcere solitum, ii quoq; qui cœteroquin eum summoperè venerabantur, testati sint Viri Doctissimi, *Simplicius* puta in fine i. de coelo, *Eustratus* super i. Eth. & ex his D. Thomas Lib. IV. de Regim. Princip. cap. IV. *Olympiodorus* item ac Philoponus apud Gassend. in Epic. pag. 1168. *Cabæus* Quæst. i. t. 22. Lib. i. Meteor. *Vossius* de Secl. Philos. cap. XVII. §. 6. *Hornius* Hist. Philos. Lib. III. cap. XV. propriis, & Lib. VII. cap. IX. *Joh. Casi* verbis, è speculo Moral. Quæst. lib. i. c. 6. quibus addere Verulamium liceat, et si paulò infensiorem Aristoteli, cuius lepidum extat in hunc Philosophum Lib. III. de Augment. Scient. p. m. 88, dicterum, Eum veteres, ut Ottomanni suos fratres quasi trucidasse suis scriptis, ut ipse solus regnaret: ex hoc ipso tamen elucet, eum, quem unum sequeretur, Magistrum habuisse neminem, sed ex plurimum Philosophorum scriptis elegisse τὰ ἀρχαιοντα, primumq;, ceu loquitur allegatus modò Hornius, dispersa Philosophia membra in unum corpus & systema collegisse: quod idem Clarissimus Drejerus in Phil. Primæ Præf. ad Lect. inter cumulatisimnas hujus Philosophi laudes primo loco his verbis commémorat: *Philosophia unitus hominis inventum non est, sed plurimorum per tot secula experientia ntititur.* Inter omnes verò quæ aliorum experientiam & observationes comportarunt & litteris mandarunt, excellit unus Aristoteles. Quandoquidem autem ab Aristotelis ævo ad hæc nostra usq; tempora viginti circiter effluxere secula, ingeniorum præclarorum non minus quam superiorum ullum, feracissima, industriae verò laude ac indefatigabili experimentandi naturæque arcana

scrut.

scrutandi studio cum hoc nostro comparari nullum queat aliud, *Experimentale Seculum* suo quodam jure appellando, cur amabo in unum Stagiritam hodiè non liceat, quod ipsi licuit in omnes alios, antiquitatis clypeo non minus munitos? Cur nunc sit interdictum sciendi cupidis, augendarumq; scientiarum studiosis, quod tunc non licuit tantum, sed & immortales quoq; laudes peperit Aristotelis? quædam inquam superiorum seculorum inventis cogitatisq; superaddere, aliqua ex observationibus & experimentis certioribus immutare & corrigere, ex antiquis ac modernis optima qua&q; in Philosophiae melioris systema colligere, à posteris porro magis magisque eadem libertate perficiendum expoliendumque? Sequamur ergo inter cœtera in hoc etiam insignitissimum Philosophum, qui non exemplo tantum suo nobis præavit, tum maximè, cùm ἀμφοῖς ὄντοις Φίλοις (τῆς τε ἀληθείας ut Andron. Rhodius interpretatur, καὶ τοῖς τῶν ιδέων εἰπούσος, h.e. Platone Magistro) ὄσιοι judicaret πεπλημμαῖς τὴν ἀληθείαν, sed consilium quoque sic philosophandi sub init. Alpha Min. in Metaph. his expressis verbis dedit prudentissimum: τοῖς τῆς ἀληθείας θεωρίαις, τῇ μὲν χαλεπῇ, τῇ δὲ φασίᾳ, οποίον δὲ τὸ μῆτρα ἀξίως μηδένα δύνασθαι τυχεῖν αὐτῆς, μήτε πάντας δοτούγχανεν, αλλ' ἐκεῖνον λέγειν ή τοῖς Φύσεως, καὶ καθ' ἓν μὲν μηδὲν ή μηρὸν ἐπιβαλλεῖν αὐτῷ. ἐπ' πάντων δὲ συναφροσύνων γινεται η μέρεθθ. h.e. Contemplatio veritatis partim difficilis est, partim facilis: indicio autem, quod negat dignè quispiam assequi eam (solus puta) possit, nec omnes (tamen ab ea) aberrent, sed unusquisq; aliquid de natura dixerit (& rectè quidem, ut Alex. Aphrod. in comment. interpretatur, dixerit) & quod singuli quidem nihil aut parum ad ipsam conseruant, ex omnibus autem (iis quæ quisque rectè dicit) longe istis magnitudo quædam fiat. Hanc igitur veræ cognitionis summam ex iis ut colligamus, quæ sparsim ab aliis rectè & ad veritatem propius dicta sunt, uti tacite subet, ita quo animo in scriptorem quemque quaque modestia

destia fieri debeat ἐκλεξις disertè porrò præscribit: εἰ μένον δὲ  
 κάρεν ἔχειν δίκαιον τόποις inquit, ὁν ἄνθης ποιῶντίσαι ταῖς δόξαις,  
 οὐδὲν καὶ τοῖς ἐπιπλαισίοις διποφηναμένοις· καὶ γάρ δὲ τοις συμβάλ-  
 λονταῖς τὴν γὰρ ἔξιν περιστημονὸν ἡμῶν. εἰ γὰρ Τιμόθεος μὴ ἐγένε-  
 το, πολλὴν αὖ μελοποίαν ἦκε ἔχομδι. εἰ δὲ μὴ Φαῦνος, Τιμόθεος γὰρ  
 αὐτὸν ἐγένετο. τὸν αὐτὸν δὲ τέσσον, καὶ τῶν περὶ τῆς ἀληθείας αἴσθησις φηνα-  
 μένων. οὕτω μὴ γὰρ ἐνίσιν παρειλήφαμδι ἡμας δόξας. εἰ δὲ δὲ γενέ-  
 θει τέτοις αὐτοῖς γεγόνεσσιν. h. e. ut optimè τοῦ Φερέζει B. Soh-  
 nerus noster: Cūm duplex sit ratio qua homines se mutuò adju-  
 vant in tradendis disciplinis; altera directa, quando aliquis veri-  
 tatem assequuntur & aliis tradunt principia & conclusiones, alte-  
 ra indirecta, quando non assequuntur quidem veritatem, suis ta-  
 men disputationibus & objectionibus excitant ingenia nostra;  
 Utrigq; debemus gratias, prioribus pro veritate inventa; posteriorib;  
 quod habitum nostrum exercuerint, h. e. facultatem & in-  
 genium nostrum, quo ipso satis multum ad veritatem contulerunt.  
 Nam si Timotheus, rudis licet adhuc Musicus, sub Philippo Mace-  
 done non fuisset, nunc parum haberemus de Musica. Sed nec Ti-  
 motheus fortè fuisset, nisi præcessisset Phrynis adhuc rudior: Adeò  
 ipsa rudimenta prima licet multis erroribus implicata nos prove-  
 here possunt. Idem contingit in contemplatione veritatis: quadam  
 enim vera ab aliis accepimus, ab aliis autem occasionem invenien-  
 di vera alia: Utrigq; igitur sua laude digni sunt. Optimè, pla-  
 neque ad mentem nostram, & convenienter iis, quæ suprà  
 Cap. II. num. IV. & V. diximus.

IV. Possimus eodem jure recentissimæ Sectæ ducem  
 Cartesium in Ecclæticorum numerum referre, quicquid is et-  
 iam de novennio suo quod delendis ex animo suo omnibus,  
 quasin eum usque diem amplexus fuerat, opinionibus im-  
 penderat, nobis narraverit. Etenim non contentum se sci-  
 entiis, quas in Schola (erat autem ea ex celeberrimis totius  
 Europæ) docebatur, libros de quibuslibet aliis magis curi-  
 osis atq; à vulgo remotis tractantes, quotquot in manus suas

incidissent , evolvisse se fatetur , satisq; temporis linguarum studio & lectio ni librorum veterum impendisse . Quam obrem et si persuaserit sibi scientias quæ libris continentur , illas saltem quæ perspicuis demonstrationibus carentes verisimilibus tantum argumentis fulciuntur , quia non nisi ex variis diversorum hominum sententiis collectis conflatae sint , non tam propè ad veritatem accedere , quām opiniones , quas homo aliquis sola ratione naturali utens & nullo præjudicio laborans , de rebus quibuscunq; obviis habere potest ; non potuit tamen paulò post non fateri , fore , ut , deletis ex mente sua simul ac semel omnibus pristinis opinionibus , deinde vel alias meliores , vel certè easdem , sed postquam maturæ rationis examen subiissent , admitteret . Id quod nihil aliud est , quām quæ ab aliis àtate nondum matura didicimus , adolescentे iudicio examinare , quæ vera bonaq; deprehensa sunt admittere , vero propiora excolere & confirmare , falsis & ineptis rejectis meliora substituere , h.e. Eleotorum methodo philosophari . Observarunt certè non uni ex eruditorum ordine , ingeniosi hujus Philosophi scriptis insertas hinc inde hypotheses , tanquam ab ipso primùm ex cogitatas , quas in antiquiorum scriptis dudum erat legere , et si non ita excutas , nec tam speciosè propositas : Unde factum etiam , ut e.g. argumentum illud Cartesii pro DEI existentia , quod ab ipso horum terminorum significatu petit , Author primarum objectionum contra Cartes. meditaciones ( quem Typographus in limine V. tarum , doctum quendam Fœderati Belgii Theologum fuisse monet ) apud S. Thomam , & Reinerus Vogelsang in Specim. Conflictus . p. 108. & 109. penes alios quoque Scholasticos dudum extare moneant ; hic idem Vogelsangius in Indign. justa contra exercit. Paradoxamp. 68. ægerrimè ferat dubitationem , quæ pertinere dicitur ad initiationem Philosophi , tam procaciter audi re Cartesianam , & cur non potius Socraticam aut Platonicam

cam aut Aristotelicam, aut, si vetera forte nomina sordeant, Verulamianam: Thomas Hobbius sub init. 111, object. agnoscat quidem veritatem primæ Medit. Cartes. sed de eadem incertitudine sensibilium disputasse Platонem, inquit, & alios antiquorum Philosophorum, ideoq; se nolle excellentissimum authorem novarum speculationum nomine illa vetera publicare ( NB. Cartesium ad hæc respondere, iis se usum esse non ut pro novis venditaret &c.) Antonius Arnaldus D. Theol. Sorbonicus, in principio statim IV. tarum object. miretur Virum Clarissimum (Cartesium puta) idem pro totius Philosophiae sue principio statuisse, quod statuit D. Augustinus Lib. II. de lib. arbitrio c. 3. &c. Sanè quòd corporum prima & communis materia nihil aliud sit quam extensio, trina dimensio, *ἀόρετον οὐσίαν*, jam olim docuerunt ex Aristotele Græci, & ex his B. Antecessores nostri, teste Philos. Altdorf. Disp. II. p. 61. & seqq.: Formas ex accidentium Categoriis maximam partem esse petendas, ac nihil aliud quam materiæ varias dispositiones, varios partium nexus, varios motus, eandem Græcorum scholam constanter docuisse propediem si volet Deus alia Disp. de Artis & Naturæ Sororia Cognitione doccebit; nec in Democriti acroateriis ignota erat eadem hypothesis, cuius atomi quoq; re ipsa eadem sunt cum particulis materiæ Cartesianis, nisi quòd his insuperabilis illa soliditas denegatur quæ isti tributa fuit: Aristotelis *Φύσις ἀνάλογος* θου τῷ ᾧ ἀσπρων συγχέω II. de Gen. an. c. 3. sive *Ἱερμέτης* ἐν τῷ παντὶ θου III. Gen. an. c. 11. sive *Διὰ πάντων δήμονοι ἐμψυχός τε καὶ γόνος*. *εσία* Lib. de Mundo cap. 4. quid à Materiæ Cartesii subtilissima differat, nunquam potuimus vide-re: Gravitatem elementarium corporum jam olim *Empedocles* à cœli ambientis rotatione deduxit, ut hodiè Cartesius, teste Arist. II. de cœlo c. 13. & Zabarella de motu Gravium: Tonitrua, fulmina, & fulgura ex nubium collisione lapsuque superiorum in inferiores provenire, & bruta animantia co-

gnitione verā destituta instar  $\alpha\bar{\nu}\delta\mu\alpha\tau\omega$  ab objectorum sensibilium variis impressionibus moveri, ex iis hypothesis sunt, quæ Cartesio præ cæteris propriæ videri possint; & tamen ad illum συνεργούντων jam olim *Democritus*, teste *Stobæo* in Ecl. Phys. & post ipsum Stoici ap. *Plutarch.* III. de Plac. 3. ac nominatim *Seneca* II. Natur. Quæst. 30. confugunt, Seleucus item ap. *Plutarchum* disertè ad nubium collapsum provocat: primum autem fuisse *Gometium* *Pereiram* qui bestias omni cognitione seu perceptione carere affirmavit, eumq; in nupero hoc seculo  $\chi\zeta'$  πόδα sequutos esse *Cartesium* & *Digbejum*, testatur *Willijns* de An. brutorum cap. I. p. m. 6. & *Morhofius* in Dissertat. de Paradoxis sensuum, *Gometium* istum Philosophum ac medicum Hispanum, ait ea de re operosum ac triginta annorum librum edidisse, Methynæ A. 1554. excusum & *Antoniana Margarita* ab utriusq; parentis nomine inscriptū. Quæ & similia plura cùm ignorasse prorsus Cartesium, ægrè adducamur ut credamus, in ea jam pridem opinione sumus, non paucas eum suarum hypothesis ab antiquioribus mutuatum esse, ita tamen, ut eas ingeniosius explicando, comendo & interpolando, corrugendo quoq; sicubi opus esset, addendo vel demendo quippiam, experimentis novis eas confirmando, quasi suas faceret; Eclecticorum adeo morem prorsus secutus, nisi quod  $\alpha\bar{\nu}\tau\delta\delta\alpha\tau\omega$  videri volens, eorum nomina quibus occasiōnem saltem inventorum debebat, pertinaciū subticuit. Quæ omnia quidem de celebratissimo hoc Sectariorum pari non alia fini allata sunt, quām ut ipsorum Ducum magis quām asseclarum exemplum secuti, à pluribus nos pleniū veritates philosophicas quām ab uno solo doceri posse credamus. Neq; verò ab hoc proposito quemquam istud dimoveat, quod cùm optima quæq; ex optimis & ingeniosissimis superiorum seculorum Philosophis jam collegerint, vel *Aristoteles*, vel *Cartesius*, nunc non opus sit nisi alterutrum sequi,

qui, tantorumq; Heroum labore assentiendo frui: hoc enim tutò fieri non posse, tum ea quæ fundamenti loco sub initium cap.II. diximus, tum verò imprimis experientia rerū magistra, docuerunt ; quando plurimi ex iis ipsis, qui alterutrum istorum maximi faciebant, in multis jam deserere Magistrum coacti sunt, aliorum moderniorum aut suis ipsorummet observationibus ac demonstrationibus meliora edocti.

V. Sed ad Prisca secula redeundum est, & illud nunc ex pendendum, quod Hornius sub finem Lib. III. Hist. Philos. ait, hanc Philosophiam ( Eclecticam puta ) Ecclesiae doctores ferè omnes esse secutos & Lib. V. cap. IV. Plerosq; Patres fuisse Eclecticos, adducto loco Clementis Alexandrini è I. Strom. notissimo : Φιλοσοφίαν ἐπὶ τὴν Στωικὴν λέγω, εἰδεὶ πὴν πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικρείντη, καὶ Ἀριστοτελικὴν, αὐτὰ ὅσα ἔργηται παρ' ἐκάση τῶν αἱρέσεων τέταν καλῶς δικαιοσύνην μετ' ἐυσεβεῖς ἐπισήμης ἀκλιδάσκοντα, τὸ πό σύμπαν τὸ ἀπλεκτικὸν Φιλοσοφίαν Φημι. i.e. Philosophiam dico, non Stoicam, neq; Platonicam, aut Epicuream, aut Aristotelicam, sed ea omnia quæcumq; ab unaquaq; secta rectè dicta sunt, justitiam cum pia scientia edocentia, omne hoc electitium voco Philosophiam. Clementi Vossius de sectis cap. XXI. jungit Origenem & Lactantium, cuius posterioris è Lib. II. Instit. Divin. c. 8. ( al. 7. ) hæc allegat verba, quæ hic etiam transscribantur dignissima : Quare oportet in ea re maximè, in qua vita ratio versatur, sibi quemq; confidere, suoq; judicio ac propriis sensibus niti, ad investigandam & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent & auditæ perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt : quæ si omnibus aquiliter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est, tanquam lux & solis claritas, quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere i. e. veritatem quære, omnibus sit innatum ; sapientiam sibi admunt, qui sine ullo

judicio à inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi despuerint, quia majores nominantur.

VI. Hisce verò planè similia allegat idem Vossius alleg. cap. §. 4. è Ciceronis Lib. I. de Nat. Deorum, quæ ibi videantur. Nos alium isti è Lib. IV. Tuscul. Quæst. adjungimus locum hæc exhibentem: *Sed defendat quidem quod quisq; sentit;* *Sunt enim judicialia libera: nos institutum tenebimus, nullusq; unius discipline legibus adstricti, quibus in Philosophia necessariò pareamus, quid sit in quaq; re maximè probabile, semper requiremus.* Eandem planè mentem fuisse Sapientissimo Senecæ legendibus ejus scripta ignotum esse non potest. Nunquam inventetur (scribit ad Lucil. suum Epist. 33.) si contenti fuerimus inventis. Præterea qui alium sequitur, nihil sequitur, nihil inventit, imò nec querit. *Quid ergò? non ibo per priorum vestigia?* Ego verò viâ utar veteri: sed si priorem planiorēq; invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non Domini nostri, sed Duxes sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum est. Et Ep. 45. ad eundem hæc habet: *Libros meos tibi mitto. --- Tu illos lege sic, tanquam verum queram adhuc, non sciam, & contumaciter queram. Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero. Multum magnorum virorum judicio credo, aliquid & meo vendico. Nam illi quoq; non inventa, sed querenda nobis reliquerunt: & invenissent forsitan necessaria, nisi & superflua quævisissent.* Conf. Ep. 64. 80. &c.

VII. Jam si recentiorum etiam quorundam exempla inquieri & audire testimonia placuerit, FRANCISCUS BACON DE VERULAMIO, uti reipsâ Eccliticum ubiq; egit, ita & paßim alibi, & imprimis Lib. III. de Augment. Scient. cap. IV. p. m. 88, non abs re fore, monet, *in antiquiorum Philosophorum placita, qualia fuerunt Pythagoræ, Philolai, Xenophanis, Anaxagoræ, Parmenidis, Leucippi, Democriti (que homines contempti*

temptim percurrere soleant ) oculos paulò modestiùs conjicere. Et si enim Aristoteles, inquit, Ottomannorum more regnare se haut eutò posse putaret, nisi fratres suos omnes contrucidāset; tamen sis, qui non regnum aut magisterium, sed veritatis inquisitionem atq. illustrationem sibi proponunt, non potest non viderires utilis, diversas diuersorum circa rerum naturam opiniones sub uno aspectu intueri. HONORATUS FABRI Jesuita ingeniosissimus inter modernos omnium maximè colit Peripati nomen, ut Aristotelem passim refellere, imprudentis quidem; passim rejicere, carpere, mordere, invidi, & arrogantis; desplicari, & nullo inter Philosophos loco habere, insani atq. dementis; sed & in quibusdam eum non sequi prudentis, in omnibus ipsi adhærere, & in singula ejus verba jurare, simplicis ac credulè, esse dicat, Scient. Phys. Tract. V. sub finem; & Tract. I. Lib. IV. p. 268. Discedere ab Aristotele, si quando vel manifestum experimentum, vel evidens ratio cogit, nullum vitium esse; & verò multa eum dicere, quibus vel divina fides adveretur - vel manifesta ratio & experientia. Vir per totum orbem literatum Celebratissimus GERH. JOH. Vossius in allegato sàpe XXI. Cap. de Sect. Philos. §. 3. Præstantiam Eclectica Secta ex eo dilucere, ait, quòd tanta sit imperfæctio humani intellectus, ut ex vetustis illis sapientibus nemo potuerit omne verum perspicere. Quod diffiteri non possumus, si animum per omnes sectas diffundamus. Hoc autem cùm exemplis in medium adductis confirmasset, seq. §. 4. ita concludit: Quod si nemo est erroris expers, non tam videndum quis aliquid dicat, quam quid atque quis dicat.

VIII. Laudatus antè HONORATUS in egregio suo libello quem Euphyandrum sive Virum ingeniosum inscrispit, Lib. II. cap. 1. de Libertate animi, quæ Euphyandrum suum deceat, agens inter coetera hæc habet cedro sanè dignissima: *In re cœzili humanae societatis est, ut unus alteri fidem habeat & servet; at verò in re literaria secus accidit; licet enim auctoritas magni momenti sit, si tamen omni rationis præsidio careat, non video eam esse,*  
cui

cù Euphyander assentiri ac sese dedere jure debeat: hancjurare in verba magistri non debet, nisi veritas ipsa magistra sit; nec Thomistus, nec Scotista plus aequo addictus esse; amici omnes sint veritatis amatores; omnium certe sectarum capita suspicere ac vereri potest, non tamen vilius ad instar mancipiis servire; præsertim cum de illorum mente ut plurimum dubitetur; hinc tamen multi doctissima in Aristotelem commentaria scripsere, qui tamen inter se nullo modo convenientunt. — Itaq. Euphyander libertatem animi retineat, nulli parti se mancipet, ne aliquando erroris servire cogatur; in eo semper statu sit, in quo de rei proposita & veritate liberè judicet; uni ratione det manus, eiq. demonstrativa &c. Sequenti Cap. XI. p. 103. postquam Sectariae Philosophiae incommoda pluribus enarrasset ac lectu dignissimis verbis; ita porro Euphyandrum suum fideliter monet, iſtis factionum impedimentis, si sapiat, ne se ingerat vel implicit, sed unius veritatis amore ducatur, etiam in hoste amandam: Si qua in re, inquit, veritas Thomistica est, non propterea stabitis à parte Thomistarum; sed tolle quod tuum est, & vade; Si fortè Scotica aut Nominalis; non ideo subtilis Scoti, vel atris Ochamica castra sequeris; sed rosam ex illo spineto vel roseto excerpte, & abi; illam animi libertatem intactam serva, quam tibi sub hujus initium libri exposui: Servire Deo, amicis & musis honorificum, immo regium est; sed factionibus seu tumultibus Scholasticis devovere sese, ingenuo adolescente optimoq. ingenio prorsus indignum.

IX. JOH. BAPT. DU HAMEL in Epist. Dedicat. ad Illustriss. COLBERTUM, Galliæ Regis Consiliarium intimum, &c. Tractatui de Corporum Affectionibus præfixa, Merito, ait, conqueritur Anglia Cancellarius (Verulamium indigitat, cuius hanc querelam reperiit est. Lib. I. de Scient. Augmentis p. m. 19.) quod plurime artes mechanicae à tenuibus initiis penè ad summam pervenerint: scientie autem, quæ in rerum contemplatione versantur, immotis velut stent vestigiis, & statuarum more adorentur, non promoveantur. Idq. eorum inertia factum existimat,

stimat, qui se ad unius vel alterius è Philosophis autoritatem contuleré, nec fas sibi esse putant ab iis quos semel probárint discere. Verum ista quidem ut volent, (ita pergit Hamelius ex propria jam mente quoq; modestissimè, quid sibi videatur, dicturus) neq; enim hoc loco meam interpono sententiam, aut usitatum in scholis morem, cui sua ratio constat, velim reprehendere. Id mihi aequum videtur, ut quisq; suo utatur judicio, & in eo philosophandi genere acquiescat, quod credit optimum. Confer ea quæ sub persona Simplicij differit idem Hamelius Dial. de Fossilibus Lib. II. cap. IX. sub init. & Tract. de Mente humana p. 66. Jungi verò his utiliter poterunt sequentia FRANCISCI REDI Nobilis Aretini Academici della Crusca, quæ leguntur in Epist. de viperis ad LAUR. MAGALOTTI MAGNI DUCIS Hetruriæ Camerarium p. m. 28. Laudo omnes Sectas Philosophorum, & in omnibus invenio plurimas res, quæ, ubi denudatae, monstrant veritatem; sed etiam in iis invenio multa, quæ cum veritate parvum vel nullum habent consensum. Amo Thaletem, amo Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Democritum, Epicurum, omnes illos principes Sectarum Philosophicarum, attamen hoc non sit, ut vellem serviliter jurare in illorum verba, & pro veritate habere omnia illa quæ dixerunt, aut scripserunt, sicut quotidiè fieri solet.

X. Sed quid opus est singulorum suffragiis, quæ innumeræ à scriptis recentiorum hoc possent congeri? Integræ hoc ævo Philosophantium Academiæ & Societates, per Italiæ, Galliæ, Angliæ, Daniam, nostram deniq; Germaniam, institutæ, suos gregatim adjiciunt calculos; prout Gallorum *Journals des Scavans*, i *Giornali Veneti* & *Romani*, i *Saggi di naturali esperienze fatte nell' Academia del Cimento*, *Anglorum Danorumq; Acta Philosophica*, & *Naturæ Curiosorum Ephemerides*, aliaq; privatim à quibusdam earum Societatum membris edita scripta, abundè testantur. Imprimis autem de regia Anglorum Societate id notandum hic est, ex relatione *Monconisi*, oculati auritiq; testis, in *Itinerario ejus Gallico*

lico idiomate consignato , Part. II. p. 37. quod anno 1663.  
 mense Mayo in Academia ista praelectum sit Diploma regi-  
 um de confirmatione & privilegiis ipsius, membranâ paten-  
 tiore ita conscriptis, ut prima litera Regis imaginem scribæ  
 calamo artificiosè expressam gestaret, ad marginem autem  
 extarent insignia Societati à Rege concessa: videlicet *area*  
*argentea, qua tabulam seu mensam nudam representet, aquila in*  
*stamno & duo canes sagaces coronis aureis, millorum loco, colla cinc-*  
*etis, cum Symbolo adscripto: NULLIUS IN VERBA &c.* Qui-  
 bus omnibus quidem, tanquam totidem legibus ac decretis  
 regiis, quam dignè gerant in conventibus suis ejus Socie-  
 tatis membra, quam nulli ibi strepitus exaudiantur, oblocu-  
 tiones nullæ, altercatio nulla, nulla partium studia locum  
 habeant, quanta dissentientium modestia mutuaq; reveren-  
 tia conspiciatur (maturi certè electivæ Philosophiæ fructus  
 illustri adeò vivoq; exemplo expressi) admirabundus nar-  
 rat *Anonymous* quidam in enarratione itineris sui per Angli-  
 am gallicè descripta sub forma Epist. à Marquis Vobrun No-  
 gent Gouverneur de Philippeville, &c. quam in vernacu-  
 lam nostram translatam Francofurtum ad Moenum, anno  
 1667. evulgavit.

## CAP. V. ET ULTIMUM.

Ad ea

*Quæ morari nonnullos possent, dubia bre-*  
*viter respondens.*

### I.

**O**ptimum equidem, inquit aliquis, eclecticum philoso-  
 phandi genus (quid enim melius, quam ex oblatis plu-  
 rimis eligere optimum?) sed unà difficillimum. Cùm enim  
 versandum sit nunc in Academiæ spatiis, nunc in ambulacris  
 Lycæi, nunc in ~~moxa~~, illa porticu à Zenone nobilitata, nunc  
 in Gargettii senis hortis, nunc in aliorum diatribis ac peri-  
 stiliis;

stilis; Quantâ ad omnia ista industria opus est! Quantî ingenii sit singulas sectas percipere! Quantî judicij in isto dis-  
tensu verum ubiq; discernere à falso! Ita *Vossius de Sect. Philos.*  
*cap. XXI. §. II.* Sed hanc difficultatem ipsemet è vestigio ita  
tollit, ut ex difficultate ipsa, secundum illud tritum δύσκολα τὰ  
νεᾶλα, nobilitatis ac præstantiae argumentum capiat; ut he-  
betes ac inertes facile hanc sectam à se arcere dicat, at non  
item eos qui ingenii acie & judicio valent; ut hanc viam pu-  
tet optimam certissimamq;, qua animi adolescentum ab-  
duci queant à rebus vanisimis, inflammanti scilicet amore  
virtutis ac veritatis in profundo specu delitescentium, nec  
nisi magno labore ac industriâ multâ extrahendarum. Quod  
si ad hominem accommodare responsum, &c, quæ Sectariis  
subeundæ difficultates, qui labores sustinendi sint, & quām  
inutiles sæpe ad inveniendum verum, ostendere vellemus;  
argumentorum ertè materia nulla ex parte nobis esset defu-  
tura. Ut enim ad Aristotelicorum sectam animum vel obiter  
advertamus, cùm obscurus esse Magister ipsorum datâ ope-  
rà voluerit, *Ammonio* in *Categ.* sub init. *Simplicio* in *Proœm.*  
super Libb. *Phys.* & in *Prædicam. Pacio* in fine Lib. *VIII. Phys.*  
aliisq; testimoniis, imò ipso in *Epist. ad Alexandrum* apud alleg.  
*Simplic.* & *Aulum Gellium Noct. Att. Lib. XX. cap. V.* facen-  
te, ut menda plurima quæ temporis injuriâ intextum passim  
irrepsére non commemorem; immenso certè labore opus  
est, si sensum verborum genuinum ubiq; assequi, si conse-  
quentium & antecedentium cohaesionem ostendere, si loca  
pugnantia conciliare & à contradictionibus liberare, quis  
voluerit; ne dum, si tueri ejus decreta contra adversariorum  
insultus, si distinctiones, limitationes, effugia omnia, quibus  
eo in casu opus habet, animo complesti, si deniq; Interpre-  
tum Græcorum, Arabum, Latinorumq; innumerorum im-  
mensa volumina (è quibus ista priora petenda veniunt) e-  
volvere, *Aphrodisios*, *Philoponus*, *Simplicios*, *Ammonios*,

Eustratios, Rhodios, Themistios, Theophrastos, Psellos,  
 Ephesios, Aspasios, Montecatinos, Mirandulanos, Pellegrinos,  
 Accorambonos, Cremoninos, Cæsalpinos, Claramontios,  
 Avicennas, Averroës, Albertos Magnos, Thomas, Scotos,  
 Occamos, Durandos, Conimbricenses, Toletos, Mendo-  
 zas, Fonsecas, Suarezios, Vasquezios, Arriagas, (& quis o-  
 mnes enumeret?) in subsidium vocare velit.

II. Attamen ex uno fonte, inquies, hi omnes suos deri-  
 vant fluvios & congeneres adeò aquas in Oceanum istum,  
 quantumvis vastum, convehunt ; cum ista sententiarum &  
 sectarum diuersarum scholis colligendarum colluvies con-  
 fusum quoddam chaos esset futura, è quo Philosophiaë Ty-  
 ronibus decentem hujus formam effingere foret impossibi-  
 le, confundendis & ipsis ac obruendis opinionum varietate :  
 quanto melius igitur esse ab uno duci quam à multis in diver-  
 sa rapi, unum  $\tau\zeta\mu\delta\alpha$  sequi, quam, quem sequareis, in tanta  
 hypothesiū multitudine statuere non posse ? Respondemus,  
 vera quidem hæc ex parte esse, ad rem tamen nihil facere :  
 Eclecticam enim Philosophiam præ Sectaria dum commen-  
 damus, non Tyrone volumus ac noviter initiatos Sectarum  
 omnium scholas perreptare, & Virorum doctissimorum di-  
 versas hypotheses proprio judicio excutere, ut qui judicium  
 non parvum pravumq; , sed liberum ac defocatum, quale  
 tyronibus non est, in re tanti momenti sub ipsum tractatio-  
 nis nostræ introitum requisivimus ; quemadmodum, qui  
 Aristotelicam Philosophiam ex Aristotele puta ejusq; interpre-  
 tibus hauriendam, laudant, tyronibus certè, ut hujus Phi-  
 losophi scripta & multa & obscura, nemine manuducente,  
 legant, & ex interpretum variantissimis explicationibus ejus  
 mentem ipsimet dijudicent, non nisi imprudentissime in-  
 jungent : de matura ætate & judicare jam docta nobis  
 sermo est, ac de docentibus magis quam discentibus ; ita ta-  
 men, ut non illos tantum dispersam longè lateq; veritatem  
 philo-

philosophicam cum iudicio colligere, sed collectam etiam discipulis suis per compendia exponere velimus, non tanquam perfectam ac omnibus suis numeris absolutam, sed imposturum etiam, prout evidentior experientia aut ratio manifestior jusserit, etiam hic ibi perfici endam corrigendamq; non ex magistri autoritate, sed ex allatis ab ipso rationibus (quantum has ea ætate capere possunt) æstimandas, & post-hac maturè sciente iudicio ex ipsis fontibus, à Præceptore indicatis dijudicandam. Scilicet serperastris coercere lapsantes iturientium infantum gressus, manuducere pueros, ac præcipites ingredi jam doctorum cursus moderari, laudabilis est adultiorum prudentia; sed nunquam velle eos incedere solitarios, ætate nulla, nisi doctoribus & comitibus stipatos obambulare, aut extra paternas ædes prodire, delira certè ac ridicula foret providentia. Etsi non displiceat regula, Discentem oportet credere; huic tamen conjungendum est, Oportet jam edictum iudicio suo uti, scitè pariter & prudenter dicit Verulamus de Augm. Scient. Lib. I. Eleganter enim Aristoteles (ita idem ejusd. operis Lib. III. ) Infantes primò balbutientes quasvis mulieres appellare matres, post autem propriam matrem discernere. Sic certè puerilis experientia omnem philosophiam appellabit matrem: adulta verò matrem veram internoscet. De cetero, si quis existimet Aristotelis interpres minus vel ab invicem, vel à Magistro suo dissentire, quam sectas coeteras, is oppidò sanè fallitur. Ausim profectò posito pignore decertare (quod & è medio Peripato Viri Docti complures affirmant) plus consensus inter Aristotelem aut antiquam Græcorum interpretum Philosophiam & modernorum hypotheses in quamplurimis reperi, quam inter eandem & Scholasticorum interpreta menta; & qui horum scripta futili subtilitate, triciscū; inexplicabilibus passim referta non observavit, in recentiorum lucubrationibus autem omnia plana magis & clara & dilucida

non agnoscit, eum neutra, vel alterutra saltē non legisse cum iudicio dicendum erit. Quomodo verò unum sequi ducem tutissimum esset, si unus optimè ducere solus ac in omnibus posset, & cur nunc, quando illud sperare non licet, audire doctos omnes, & sequi quemvis ubi suam maximè probat experientiam ac scientiam, oporteat, ac de suo porrò, quantum quisq; potest, addere æquum sit, in superioribus abundè dictum est.

III. Enimverò, in iste porrò alias, ex præscripto prudentissimorum majorum nostrorum ac Superiorum jussu in omnibus ferè universitatibus Aristotelis Philosophia docenda venit, eaq; stare jussi sunt Professores Academicici. Nihil hoc, in qua m ego, adversus nostrum propositum. Quod enim primò antiquitùs Aristotelicam Philosophiam in scholas omnes introduxerint Leges Academicæ, id inde factum, quoddaliam tamen non nosset Germania nostra præter istam ex Arabia in Italiam, Galliam, Hispaniam, indeq; intra nostra quoq; confinia transplantatam: Secundò nunquam ea fuit Academiarum Nutritoribus sententia, quæ discessum ab Aristotele nullum uspiam ferret; alioqui partus omnes mancos & lèflos è medio tollendos ac necandos, superfluos ac multitudine suâ Reip. graves futuros abortione removendos esse è Pol. VII. cap. 16. docendum esset; Danubium è Pyrenæis montibus scaturire cum eodem Philosopho è Meteor. c. 13. statuendum; quæ de solidis cœlorum orbibus, de Galaxia, de Cometis, aliisq; crassè satis est philosophatus, ab ipsis Peripateticorum filiis dudum explosa, restituenda essent, aliasq; absurdâ multa scientibus ac prudentibus admittenda, defendenda: Sed hoc imprimis cautum istis legibus esse videatur, ne (quod avorum nostrorum memoria metuebatur è Ramæa Schola, his nostris autem temporibus Cartesiana minatur periculum) subrepens nova Philosophiæ Secta, antiquâ penitus expulsâ, novas in re literaria pariter ac publicâ turbas

turbas daret. Alioquin Aristotelicam Philosophiam Scholis  
ac Professoribus suis non nisi etenus commendasse, tradiq;  
voluisse prudentissimos Scholarum Curatores, quatenus ea  
Sacris literis præcipue, dein veritati, rationis rectæ principiis  
& experimentorum evidentiæ non repugnat, non solum re-  
scripta quædam peculiaria olim noviterq; declarârunt, sed  
quotidiana Philosophorū per omnes Academias, & inculpata  
quidem ea, nec improbata unquam, praxis abundè docuit.  
Audiatur e. g. Joh. ZEISOLDUS, antehac in alma ad Salam  
Academia Præceptor noster, & Peripateticae Philosophiae  
Promotor strenuus ac celeberrimus, in Theoria corp. Nat.  
Disp. I. sub introitum ita loquens: *Physicam ex Aristotele pro-  
positurus, hoc non intendo, ut ipsi ipsiusq; placitis simpliciter adha-  
dere studeam, cum ne quidem Sapientia cultorem deceat, ut autho-  
ritatibus plus justetur, rationum momentis sepositis se man-  
cipium alienæ libidinis efficiat; sed illa Aristot. dogmata me am-  
plexurum illisq; ipsius sententiis me subscriptum profiteor, que  
naturæ institutioni conformia & rationi consentanea sensero &  
deprehendero. Secus sicubì res habuerit & aliud, ac Aristoteles  
docuit statutive, Natura, ut Dux, & Rectaratio, ut Judex, mē-  
bi monstraverint, liberam & promptam ab eo secessionem quin fa-  
cturus sim, non est ut quis addubitet.* Audiatur Henricus Ju-  
lius Scheurl Moral. & Civil. P. P. Helmstadiensis in Bibliogra-  
phia Morali num. CXIII: *Laudamus Aristotelem, inquit, sed  
non cum mundi aeternitatem afferit, vel adulterium committè  
negat, nisi committatur ex habitu, vel deniq; cum abortum pro-  
curare genitosve in conjugio liberos exponere licere arbitratur.*  
Audiatur de Lipsiensium Academia recens - vulgatum ipsius  
consensu præscituq; testimonium: *Tametsijam ante duo cum  
dimidio secula Aristotelica Philosophia studium amplexa fuerit,  
non omnia tamen Aristotelica, uti vulgo persuasum est, Oraculo-  
rum Delphicorum loco habet, quin ea, quæ aut Christianæ religi-  
oni aut manifestæ ratione refragantur (nec enim Aristotelem ho-  
minem*

minem & ethnicum fuisse ignorat) manifestè refellit, cetera autem vero affinia exosculari cupidè, nec lacerari temerè à quovis Novatore permittit, quin subende etiam, sicubi errare visus est Aristoteles, vel Scholasticorum vel aliorum quoq; Doctorum veritati magis consentanea dogmata substituit. — Audiatur etiam de se ipso ac eadem Universitate sic testatus in Præfat. Physicæ suæ Celebratissimus THOMASIUS: *Solemus in hac Academia sequi Aristotelem libenter.* Quod et si servitutem ingenuo homine indignam vocare solent hodierni Libertini: tamen commoditas hujus instituti, modò absit aperte falsorum aut malè cum cœlesti doctrina coherentium pervicax propugnatio, & quis judicibus facile se, spero, approbat. — Neg. ita metamen illi mancipavi, ut nefas putarem sententiam ejus deferere interdum, aut in medio relinquere. Memineram enim & gentilem Philosophum fuisse, h.e. alienis à religione Christiana hypothesisibus quibusdam correptum, nec temporibus vixisse felicissimis. — Factum sic est, ut nec addictus nimiris, nec nimiris liberam docendi rationem amplecterer, sed quodam quasi temperamento usus nec publicum Academie nostræ statum, quod effrenis illa quodlibet opinandi licentia faceret, convellerem, nec presentis seculi felicitati ponerem obicem.

IV. Hic verò non uni fortè ore pleno nobis occlamabunt: Si moshic & usus, Aristotelem non nisi in iis quæ veritati sacræ profanæq; consentanea sunt sequendi, dudum obtinuit, uti fatemini, in Academiis nostris, prout sanè Virorum Professorum similia testimonia plura ex aliis quoq; Academiis in medium afferri possent; quæ necessitas igitur Electi-  
cam Philosophiam tam operosè commendandi, Sectariæq;  
noxam & virtutem tantâ contentione demonstrandi? Numquid  
inanis hic labor est & frustra suscepimus, quando jam exulat  
Sectaria philosophia ferè ubiq; & Electiva reapse colitur?  
Utinam verò, regeremus nos, ita habeat res ex omni parte &  
electiva philosophandi ratio sit ubiq;, ex voto nostro, com-  
mendatissima! Non fuerit ideo inutile statim & frustraneum  
hoc

hoc institutum nostrum ; cùm circa receptissima quoque  
 dogmata occupentur Academicæ Disputationes quampluri-  
 mæ , non ut iis demum imbuantur auditorum Lectorumq;  
 animi , sed ut imbuti dudum confirmentur ; sæpius etiam  
 idèò tantum , ut habeat studioſa juventus , in quaſe exerceat ,  
 materiam disputandi præ aliis gratam & adamatam ; prout  
 hanc ipsam Respondens noster ſibi ſpeciatim elegit , ſui adeò  
 voti à nobis facile damnas factus . At enim uti negare nulli  
 poſſumus ubiq; ferè reperiri hodie Viros cordatos qui non  
 tantum in Aristotele ejusq; interpretibus aut in deamato  
 alias Cartesio ſuo quædam damnent ac rejiciant , ( quamvis  
 non defint etiam , qui ab Aristotele ne latum unguem ſe di-  
 ſceſluros etiamnum proſiteantur , neq; qui , aut Aristotelici-  
 cam Philoſophiam , aut nullam veram eſſe dicant , nulli , eo-  
 rum autem qui ſolam Carteſianam admittant , plurimi repe-  
 riantur ) ſed nonnulla quoq; à recentioribus melius edocta  
 admittant & scriptis ſuis inſerant , Ecleſticorum ordini ha-  
 ctenus non ſine laude accenſendi ; ita dolendum eſt tamen  
 ( ignoſcant liberiū loquenti candori noſtro ) id à multis  
 eorum parciū ſeriūsq; justō , nec niſi extrema necessitate  
 adactis fieri , ſcilicet cùm adverſus ſolem loqui aut inculcatæ  
 toties veritati maniſtiffimæ ampliū riferere pudor eſt ;  
 & cùm vulgatos quosdam errores Magiſtrorum in numera-  
 to habeant , quos cum plurimis fatentur , illos tamen omnes  
 eſſe ac unos tantorum Virorum nævos , nec alios porrò ulli-  
 bi in eorum ſcriptis repertum iri , plerisq; perſuadum eſſe ; ita  
 quidem ut non ſine ſtomacho inaudiant , ſi qua nova ob-  
 ſervatio aut experimentum recentius ulteriore aliquam  
 emendatae jam ſatis iſporum opinione Philoſophiæ corre-  
 ctionem poſtulet , non niſi ſtudio innovandi talia tentari  
 queritantes . Ut taceam haut rarò diſſimulatum aliquantis-  
 per aut occultatum iſpis non advertentibus quidem affe-  
 ctum ſeſe prodere tum präcipue , cùm facienda diſceſſio eſt ,

& cùm maximè suum vera pro falsis eligendi studium probare connituntur. E plurimis exemplis quibus hoc confirmare in proclivi esset, dūo saltem hīc afferemus in medium, alterum jam antehac in Cartesiano quodam; alterum nuperimē in Peripatetico Celebriore notatum. Ille namq; in Clave Philosophiæ Naturalis Aristotelico-Cartesiana secundū dūmedita p. 201. Veram philosophandi libertatem, quæ aliud nihil sit, quām libertas judicandi secundum rationē, nem, tam putat in uno potissimum, quām in diversis atq; inter se dissentientibus posse autoribus servari, sive docentes, sive discentes species: Neq; adeò necessarium esse, ut multorum opinio fert, Eclecticum esse debere per omnes sectas vagando, qui futurus liber philosophus est. Quin hanc maximam servitutem esse putat, cùm possit esse veritas in uno & ab uno occupata, in aliquibus saltem: Neq; tum amplius liberum esse quicquam aliud amplecti, nec necessaria esse querere aliud. Quis non miretur acutissimum alias Virum inter liberè philosophantes connumerari velle, sed eā conditione, ut in unis Cartesii scriptis, à quo sc. uno veritatem occupatam esse supponit, libertatem secundū rationem judicandi exercere sibi liceat, neque necessitas sibi imponatur aut Aristotelicam philosophiam aut sectarum aliarum autorumq; à Cartesio dissentium opiniones & cogitata attendendi, utpote quod maximam esse servitutem putat? Et quis restrictæ libertatis hujus fundamentum non agnoscat abundantiam affectū erga Renatum Cartesium admissamq; in ipsius gratiam hypothesis, quod omnis ab uno veritas occupari possit, quam esse falsissimam in superioribus abundē ostensum est, ac ipse quoq; vel invitus innuit, dum addit, in aliquibus saltem id fieri posse; hoc ipso necessarium esse confessus, in cœteris omnibus non occupatam ab illo uno veritatem apud alios querendam esse, nec excludi hīc unum magis cum ingenio & industria philosophantium, quām

quām alteros, posse? Hunc autem, Virum cōterā doctissimum, quis miretur amplius tam facile potuisse effata quæcunq; gentilis philosophi (quem alii Viri doctissimi, ipsi alias addic̄tissimi, providentiam divinam ē mundo sustulisse, hujus æternitatem statuisse, animæ immortalitatem aut negasse aut in dubio reliquise &c. intrepidè assertur) cum Sacro-Sanctis scripturis ita conciliare, ut non alius quām apparen̄s utrorumq; dissensus supereffet; si ejusdem interpretationem textū 83. Lib. II. de An. inspexerit, quæ reperitur in Notis ad Jachæi Phys. Instit. Lib. VIII. cap. XVII. Cū enim in allegato loco Stagirita satis clare statuisset, primarium auditū organon aut partem istam in qua actus audiendi ultimato perficiatur, esse aërem internum, quem auditui congenitum dicit, hic autem ejus Interpres ex Anatomicorum observationibus & sensuum coeterorum analogia veriora doctus, substantiam nerveam per auris intimæ concamerationes dilatatam pro instrumento primario recte agnosceret; ut ne deserere planè Magistrum cogeretur, ita verba ipsius interpretatus est, ut ab hoc ipso temporis momento dextrâ fideq; datâ recipere nulli dubitemus, ab Aristotelis Philosophia nusquam nos discessuros imposterum, siquidem isthac ejus interpretandi ratio probari possit. *Quid si dicatur, inquit, per aërem sive auram insitam intelligi substantiam nervi, prout ad finem suum dilatatus plurimum aëre & substantię includit?*

V. At enim, quid, amabo, juvaret affectu verbisq; testarisi suum ubiq; cum Philosopho consensum, opere ipso verò ab eo magis quām à quovis alio dissentire, h. e. non ipsi tantum sed & superioribus illudere? Quantò satius esset & scientiarum augmentis proficuum, & ad animorum pernicioſas collisiones evitandas consultum magis (parum enim esset, & condonandum facile vel Aristotelis, vel Epicuri vel Cartesii Gassendive cujusdam Sectatoribus, si Præceptorem quiq; suum ejusq; statuta etiam nimio prosequerentur affectu, nisi,


quod est humanæ imbecillitatis necessarium quasi consequens, hic idem plures alios magis noxios & viciosos, Odium puta diversum sentientiū, suspicandi de ipsis nescio quid mali & apud superiores in suspicionem eos adducendi vel clanculum subrepentē libidinem, adversas eorum hypotheses in pejorem partem interpretandi consuetudinē, atq; adeō simultates, aliaque Christianam charitatem evertentia mala magna numero parturiret; ) quantò satiùs, inquam, esset quæ in hujus aut illius philosophi receptis & publicā Authoritate introductis scriptis sanæ rationi & experientiæ manifeste consouant, ea servare & confirmare ulterius, quæ obscurius dicta aut insufficienter demonstrata reperiuntur, iis nihil dissimulando ex aliis clariora & meliora substituere, quæ deniq; manifestè falsa deprehensa aut demonstrata ab aliis fuerint, ea candidè & apertè, non, quæsitis & coactis interpretationibus tempus malè collocando, fateri lubentesq; derelinquere, atq; eo animo derelinquere, qui ad alia plura non temerè quidem sed flagitante rei necessitate deserenda, & in melius mutanda subinde quædam, paratus sit?

VI. Itane verò horariam, inquieres, habebimus Philosophiam aut ἐφήμερον, mancam perpetuò & mutilam, mutabilem semper ac, adsutis laciniatim ad veteres pannos subinde novis, aliam indies, nec eandem unquam? Imò verò eandem habebimus, sed ita uti navis eadem numero in scholis dicitur quam à multis retrò annis aliâ subinde aliâq; parte sarcire & renovare necessum fuit: ita eandem, ut Anatomia & Astronomia, parvæ illæ Philosophiæ naturalis particulæ, toties jam correetæ, toties hac aut illâ sui parte mutatae ac imposterrum etiam corrigendæ & mutandæ amplius, eadem tamen sunt manentq; scientiæ: ita deniq; eandem, ut semper meliorem, et si nunquam perfectam, nunquam omnibus absolutam numeris. Hæc talis autem quibus ad palatum non est, ii humani intellectus imbecillitatem, ac rerum noscendarum sub-

sublimitatem & multitudinem accusent, non innoxium philosophandi modum, quo melior exoptari quidem, expeditari verò non potest. Etiam in Naturalibus cū pérgeat tantum cognoscimus, indeque ostiatim quasi collectā stipe eas opes querere oportet, quas domestica pauperies singulis dene-gavit. Aerarium sapientiae è collectis ditandum est, nec illæ à locupletissimis tantum sed à mediocris etiam fortunæ civibus exigendæ, ne paupercolorum quidem spreto collatu. Absolutissima quidem ea sunt Architecturæ opera, quibus eadem artificis periti manus, quæ prima fundamenta jecit, ultimam etiam addit coronidem: Sed si structuræ moles & vastitas, si operum ornatúsque, columnarum ac trabeationum, fornicum & conclave, sculpturæ & picturæ cœtectorumq; varieta, unius architecti manum atatemq; eludant, aut pluribus unà diversarum ædificii partium cura demandanda est, aut defunctis prioribus alii subinde surrogandi veniunt, qui cœptum opus continent, aliqua etiam pro re nata immutent & corrigant; quicquid etiam operis magnificentiæ aut partium Symmetriæ & Eurythmiaæ inde decesserit. Ut quimus, ajunt, quando ut volumus non licet.

VII. Atque hæc sunt quæ hac vice, ad Respondentis nostri, probitatis & bonarum artium, ac imprimis moderatrices Philosophiæ studiosissimi petitum, inter medias calamitates domesticas, de Philosophia Ecclæstica commentari nobis licuit; In quibus, si quid forte occurrerit, quod aliâ fini dictum suspicacioribus quibusdam videri queat, quam ut positos etiamnum alicubi scientiarum augmentis obices pro nostra virili removeremus, ac nostram, quam per hos decem annos in hac Universitate usi sumus, ex Aristotele aliisq; vetustioribus ipso ac recentioribus naturæ interpretibus, ac ex ipso Naturæ libro præcipue, philosophandi methodum à quibusdam suspicionum reliquiis, præsertim ab intentato non semel novitatis criminie eam quæ est omnium antiquissima,  
penitus

penitus liberaremus, ut quietis tandem agere nobis id quod superest astatulæ liceret; id vero ne dictum quidem esto, alio certè quam isto, quo modo diximus, animo dictum non esse sancte contestamur.



## EPIMETRA.

### L

**Q**uod vulgo credunt, rigidiorem hyemem à vere & estate placidiore excipi; id non solum nupera adeò experientia confutat, sed ratio quoq[ue] manifesta refellit.

### II.

*Frustrà Sirio tribuitur canicularium dierum æstus, qui Soli unicè debetur.*

### III.

*Nulla fortè nec est, nec fuit, nec erit unquam nox in regionibus terræ subpolaribus.*

### IV.

*Nec adeò absurdè sibi quis persuaderet: Ibidem circa solstitium æstivum tantundem ferè æstus sensurum οἰονον incolam, quantum nauta Batavus in patria sentit eodem tempore.*

### V.

*Non est æstate frigidior quam hyeme aut aqua putealis aut aër subterraneus, uti vulgo creditur:*

### VI.

*Ideoq[ue] solstitium phænomenon frustrà per antiperistasis adhuc magis commentitiam explicatur.*

### VII.

*Non inepte sentiret, qui Sensum omnem internum diceret; Salvo tam interim quinario sensuum externorum numero.*

## Errata extantiora ita corrigantur.

Pag. 7. lin. 6. leg. αἴρεσθαι. p. 20. l. 14. experimento. p. 24. l. 10. quā solā. p. 27. l. 3. experimentum. p. 32. l. 6. scientiarum. & l. 20. χαλεπη. p. 46. l. 9. & 10. prudentissimorum.